EPISTOLAE QUAEDAM ARABICAE

A MAURIS, AEGYPTIIS ET SYRIS

CONSCRIPTAE

EDIDIT

INTERPRETATIONE LATINA

ANNOTATIONIBUSQUE

ILLUSTRAVIT

ET

GLOSSARIUM

ADJECIT

D. C. MAXIMILIANUS HABICHT

LITERAS ARABICAS IN UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI DOCENS, SOCIETATI ASIATICAE LUTETIAE PARISIORUM CONSTITUTAE ADSCRIPTUS, MUSEI FRANCOFURTHI AD MOENUM ET SOCIETATIS GERMANICAE BEROLINENSIS SODALIS.

VRATISLAVIAE MDCCCXXIV.

TYPIS UNIVERSITATIS REGIIS.

Vendunt Max et Socius.

EXCUDERUNT
GRASS BARTH ET SOCIUS.

VIRIS SUMME VENERABILIBUS

JOAN. CHRIST. GUILELMO AUGUSTI,

S. S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI EJUSDEMQUE IN UNIVERSITATE LITERARIA BORUSS. RHENANA PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, CONSISTORII CONSILIARIO, ORDINIS AQUILAE RUBRAE TERTIAE CLASSIS EQUITI, etc.

ET

HENRICO MIDDELDORPF,

S. S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI EJUSDEMQUE IN UNIVERSITATE LITERARIA VRATISLAVIENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, etc.

NEC NON

PROOEMIUM.

Libellus, quem publici juris facio, cum excusus sit typis Arabicis novis iisque elegantissimis, quibus hoc ipso anno donata est universitas litteraria Vratislaviensis: piae ante omnia gratiae agendae sunt munificentiae Regiae et eorum, qui cultui ac publicae institutioni in Borussia sapientissime et splendidissime praesunt, quorum quidem imprimisque summi ejus collegii principis illustrissimi atque excellentissimi, liberi Baronis Stein ab Altenstein eximiae curae ac rarae liberalitati literas illas Academia debet.

*

Eo tempore, quo Franco-galli expeditionem in Aegyptum suscipiebant, omniumque mentes ad istas regiones, earum incolas et linguam conversae erant, ego quoque, fato Lutetiam Parisiorum delatus, ex illis fui, qui cupiditate et ardore illius terrae linguam cognoscendi inflammabantur. Quod consilium ex votis exsequendi optima mihi tunc Parisiis oblata est opportunitas, lectionibus potissimum, a perillustri Bar. Silvestre de Sacy, in litteris orientalibus nostra aetate principe, de lingua Arabica institutis, quibus tres fere per annos interesse tam felici mihi esse contigit. Hic vir doctissimus non solum humanissime et benignissime me excepit, sed studium meum omni modo adjuvit; pro qua beneficentia et, quo me semper amplexus est, favore, summas, quas habeo, optimo viro gratias ago. Multum etiam debeo viro doctissimo, Patri Raphaeli Cahirensi, tunc temporis linguam Arabicam Parisiis docenti, nunc autem in patriam reduci, quem h. l. honoris causa nominare gratus animus flagitat.

Gallico autem exercitu multis cum varii generis et ordinis transfugis, integris adeo familiis, reverso, intimam cum horum et aliorum Arabum, Parisiis commorantium, cultissimis inivi consuetudinem et familiaritatem, eoque usu continuo mox eo perveni, ut certa quadam facilitate Arabice loquerer. E quibus, quos imprimis colo, amicis gratiae et honoris causa prae

ceteris nomino Patrem GABRIELEM TAOUIL, Damascenum, MARDOCHAY AN-NAGAR Tunetanum, et jam sedibus terrenis ereptum MICHAELEM SABBAGH Aconensem, viros doctrina et eruditione excellentissimos, mihique in paucis caros. Nec silentio praeterire gratus animus vetat, virum beatum, MICHAELEM SABA, Aegyptum, Mamlukorumque centuriones FURTARRUMAN et IBRAHYM cum horum tota, in quam benevole receptus sum, familia; cum his omnibus et aliis Arabicis et ipsarum et mearum rerum causa litterarum commercium colui, quod neque post meum discessum, neque post illorum partim in patriam reditum unquam cessit et alios etiam Arabes, quos nunquam antea coram videre contigerat, mihi conciliavit et ad litteras mecum commutandas incitavit. Hinc factum est, ut plusquam ducentas epistolas ab Arabibus conscriptas, sensim acciperem. Quod quum ex amico quodam audivisset celeberrimus ROSENMUELLERUS, vir de studiis orientalibus imprimis meritus, auctor mihi ille fuit, ut earum nonnullas publicarem eoque modo ad stylum Arabum epistolarem clarius cognoscendum aliquid conferrem. Huic consilio, ut satisfacerem quamvis nonnullae causae obstarent, aliae tamen haud paucae me impulerunt. Jam itaque in publicum emitto selectas quasdam epistolas, auctorum, ut pote ex parte adhuc viventium, nominibus maximam partem omissis, iisque *schedulas* aliquas, *testimonia*

et *literas-preces*, quas in transfugorum illorum gratiam e lingua arabica in Gallicam converteram, adjicere placuit, et hac quidem inscriptione arabica: ***Liber carpturae fructuum et proventuum in collectione nonnullarum epistolarum a nobilibus nonnullis amicis variorum tractuum et regionum*** (datarum).

Has autem epistolas edendi inter multas alias causas haec primaria fuit, ut ex illis, quippe a variis variarum terrarum viris, et *Syris*, et *Aegyptiis* et *Mauris*, conscriptis, *) luculentius elucesceret, inter horum linguam Arabicam hodiernam scribendi rationem nihil omnino differre, eamque ab antiqua, in Corano usitata, haud multum abhorrere. (Cfr. clar. AND. OBERLEITNERI chrest. arab. Viennae MDCCCXXIII. p. XII. et quatuor dialogi clar. ARYDAE in fine ejusdem libri.) Cultiores enim in omnibus regionibus linguam suam colunt et uno eodemque fere modo scribere solent,

*) Epist. quidem I—IX. a Mauro Tunetano. X—XI. a Mauro Algeriensi. XII—XIII a Syro Aleppensi. XIV a Bethlehemitano. XV a Aegyptio. XVI a Aegyptio. — Sched. I—II a Syro. III a Syro Damasceno. IV—VII a Syro Aconensi. VIII—IX ab Aegyptiis. X a Domina Aegyptiaca.

Caeterum valde doleo, me propter id, quod exposui, consilium huic collectioni adjungere haud potuisse literas, a viris nonnullis doctis in Europa ad me datas, inter quas ob raram, qua ornatae sunt, et linguae et dictionis elegantiam, illas, a viro perillustri, JOSEPHO DE HAMMER, conscriptas praecipue dignas censeo, quae ad publicam notitiam celebrentur.

atque ita etiam Arabes. Et quamvis phrasibus utantur in antiquis libris non occurentibus, ut الذى يخرج و الذى يدخل *hic exit, ille intrat*, quae in quibusdam nostrae collectionis epistolis legitur eae ejusmodi sunt, ut neque a linguae genio abhorreant, neque ab eo, qui Coranum perlegerit, facile non possint intelligi. Sed negare nolo, in Arabum hodiernorum sermone inveniri verba, quae aut veteri linguae prorsus deficiant, aut novas significationes acceperint. Sic, ut uno exemplo utar, vox خَرْج inter alia in lexicis notata nunc etiam *ea quae necessaria sunt*, significat, quae quidem notio bene convenit cum Golii explicatione: „*quod exit de opibus expenditurque*", nam quod exivit et expensum est desideratur, et quod desideratur necessarium est. Vehementer autem errant qui magnam dialectorum diversitatem statuunt, et maxime reprehendendi sunt, qui voces, omnibus Arabibus communes, uni alterive regioni proprias falso declararunt, quippe qui, linguae Arabicae non satis gnari, rerum dotes aut partes in itinere appellatas audientes, has appellationes pro variis rerum ipsarum nominationibus perverse habuerint. Talium errorum larga exempla suppeditat liber, a viro docto, qui Syriam et Aegyptum peragravit, in publicum nuper emissus *)

*) Reise in die Gegend zwischen Alexandria und Parätonium rc. in den Jahren 1820 und 1821. von Dr. Joh. Mart. Augustin Scholz. Leipzig u. Sohrau 1822.

quo in libro inter alia p. 281 sqq. plura vocabula opposita leguntur, quae, ex auctoris judicio aut Syriae aut Aegypto pecularia, non Syris Aegyptiisque solum, sed omnibus etiam, qui arabice loquuntur, communia sunt, ut: غدا et بكره *Tempus matutinum*; صوان et صلاط (l. صلد a صلد dura fuit *terra*) genus lapidi duri; احلق (imp. a حلق rasit totonditque et تزين (l. تزين) imp. form. V. verbi زان ornavit *tondendo* capillos, sicut et حلقت et تزينت (l. تزينت prim. pers. praet. form. V. v. زان) ضوء (l. ضوّ) et نور lux; نلم et انعس (l. نعس) dormitavit; لبن et حليب lac; الحباس et سبحان (l. سجان) carceris custos الحبس et سبحن (l. سجن) carcer; الخيار (l. خيار) et فقوس (l. فقوص) Cucumis; درب et طريق via etc. Alia, quae auctor apposuit, vocabula non unam eademque, sed diversam plane significationem habent, ut المرا (rectius امراة) et بنت; شتا et مطر; طبقه et قصر; رجال et راجل (l. رجّل) صغير et صغار; قمقم et مرش (l. مرشّ) etc.; e quibus المرا est *mulier* بنت vero non mulier sed *filia*; شتا *hiems* مطر vero non hiems sed *pluvia*; قصر *arx* طبقه vero *contignatio* (*étage*, *Stock*;) رَجل *vir*, رجال vero, quod illius est plur., *viri*; صغير *parvus*, صغار vero (plur.) parvi; قمقم *urceus*, مرش vero (a رشّ conspergit) *lagena qua aspergitur visitans*, e. g. cum aqua rosarum. Pravam salutandi formulam exhibet p. 291. „In der Umgegend von Gaza grüßen sich die Bauern mit Elawaf (ja fulan) inscha mabsut (l. مبسوط) العواف يافلان انشا مبصوط" i.e. Sanitatem tibi opto o N. N.!

si (Deo) placuerit, salvus eris. „Im Kesrwan sagt man: Salameh inscha alla maridh السلامه يا شيخ انشا الله مريض“ i. e. Salutem o senex (amice) si Deo placuerit aegrotus eris!

Sed ut redeam ad id unde digressus sum. Ex hac epistolarum collectione ut etiam tirones aliquam utilitatem capere possent, ei et versionem, et glossarium addere placuit. Versionem notis illustravi, in iisque ea quae in lexicis non reperiuntur, vocabula attuli horumque notiones locis, ex libris tum scriptis tum impressis desumptis, erui et probare studui. In scribendis autem literis Arabicis maximam quidem partem vulgarem Germanorum eas Latinis exprimendi morem sequutus sum, ita tamen, ut ه et ح vocale antecedente per *ch* (ut احمد *Achmed*, شاه *Schach*), vocale vero sequente per *h* (ut محمد *Muhammed*, حرم *harima*) et ج non per *dsch*, sed *g* exprimerem. Haec enim litera non in Aegyptorum solum, verum etiam Arabum in ipsa Arabia viventium ore *g*, nec *dsch*, sonat, neque dubito, hanc veram ejus esse pronunciationem, quippe quae litera non literis *solaribus* sed *lunaribus* a grammaticis Arabicis adnumeratur. Scrib. Vratislaviae die XXVIII. mens. Maji a. S. n. MDCCCXXIV.

C. MAX. HABICHT.

A. EPISTOLAE.

Eramus conjuncti et domus una nos continebat ut conjunctae sunt litterae جمع;

at hodie discessus nos assimilavit litteris وداع disjunctis. (1)

I.

Viro (1*) dignissimo, amico carissimo, Domino N. quem Deus conservet. (2)

Post maximum desiderium faciem tuam carissimam *in incolumitate* videndi (3) certiorem te facimus, amice noster, honorandam tuam epistolam ad nos pervenisse et gratias a nobis actas esse Deo ob integritatem salutis tuae. Nec te ignorare volo, mi frater et amice, quod a quatuordecim inde diebus negotium mihi evenit. Scilicet necessarium est ut proficiscar Lutetia in Italiam, Tergestum nempe urbem et jam Syngraphum (4) postulavi vecturamque veredae, quam *diligence* appellant, solvi. Proficiscemur hinc Lugdunum, Lugduno Mediolanum, Mediolano Tergestum (5); idque iter totum in continente cum viris patriae meae nobilioribus fiet, qui (6) huc venerant

jura sua de (7) nave Tergesti iis erepta, apud summum Magistratum vindicaturi. Ac pro certo habeo (8), illos a me aliquam isto itinere capturos esse utilitatem, si quidem Dominus me adjuvat, quo adspirante, post tres quatuorve menses, confecto negotio nostri Bey, dico Sultani Tunensis, (cujus gloriam Deus perpetuet) redibo. Nam amicus meus qui hic commoratur, Muhammedanus alhag N. N. ad curanda praefecti nostri negotia Tergestum accesserat tribus cum navibus mercimoniorum Tunensium, quae venderet, quorumque pretium impenderet emendis rebus navibus necessariis (9) e. g. velis, funibus, anchoris, lignis et trabibus ad naves aedificandas, quaeque his similia sunt. Sed eripuerunt ei navem unam Tergesti. Profectio quidem nostra erit die Solis mane. Dictum tuum autem quod attinet, te dedisse solam vecturam publici cursus (pro libro tibi misso) (10) quadraginta septem francos, foeda sane, mi amice, res est. Nam cum librum ad cursus publici praepositos attulissem, interroganti, quantum mercedis postulent? responderunt, a decem usque ad duodecim francos. Quomodo ergo quadraginta septem sumserunt! Dein mi frater, quod rogasti, ut tibi describam historias, quas designasti, bono sis animo, protinus ac pervenero Tergestum, tibi eas describam. Tu modo, mitte sis quinquaginta francos ad amicorum tuorum aliquem (11), quos quando illas descripserim et cui volueris tradiderim (12), mihi reddat; idque beneficiis in me tuis pro complemento adjicias, ut (13) litterae, quas ad me dederis, immunes sint vehendi mercede, quemadmodum huc usque facere solitus es. De libro Al Makrisi, benigne mecum agas amabo, amicos tuos exspectare hortans, donec Lutetiam redierim, ubi, si quid cupierint, descripturus sum. Quae extant tua de me merita, pro eis summopere augeat Deus felicitatem tuam. Equidem per numinis majestatem, quam diu vita frueris nunquam tui immemor ero. Respectu mercium mearum, quae penes te sunt, eo quod scripsisti permutandarum, quidquid placuerit mittere potes ad virum mihi amicissimum Ben Susan, oriundum ex eadem mecum patria, sodalem valde fidum, hominum merces fidei suae commissas venditantem. Cujus et nomini et habitaculi de-

scriptionem (14) adjiciam. Nec dubium est (8), quin ipse cognoveris hunc Ben Susan dum Lutetiae commorabaris. Jam vero ne aegre feras rogo, quod tam brevis sim in scribendis litteris. Negotiis occupatus sum mea referentibus. Quam primum autem pervenero Tergestum, omnia tibi prolixius enarrabo. Multam salutem meam sorori, amicae honoratissimae, conjugi tuae, salutem, inquam, sempiternam ab amico tuo. N.

Datum die Veneris III. Aprilis, anni MDCCCXII.

II.

Domino carissimo, Domino (15) N. quem Deus O. M. conservet.

Post auctum desiderium maximum videndi (3) faciem tuam beatam, certiorem te facio, frater, quod salute et valetudine gaudens, (qua propter Deo o. m. gratias habeo (16)) Tergestum urbem tetigi, viginti ferme abhinc dies, consumtis in itinere, proficiscendo et quiescendo, diebus triginta quinque. Multas transivimus urbes, quarum praecipuae sunt Lugdunum, Taurinum, Mediolanum et Venetiae. Tergestum quidem urbs est parva sed lepida, emporium maritimum in sinu (17) Venetico. Habebam vero magnam cistam, cui omnes res mihi necessarias, omnes etiam libros (7) mandaveram. Hanc, quo minor esset sumtus, vehiculo mercimoniis transvehendis destinato, Lutetiae tradidi. Unde spero, eam viginti circiter diebus huc perventuram esse. Quo facto, Deo annuente, describere tibi incipiam. Tu modo fac hinc deligas amicorum tuorum aliquem, cui manuscriptos tradam, ad te perferendos. Scias autem velim me adhucdum (18) ignorare, quando Lutetiam rediturus sim. Quod si tu, mi frater, oleum rosarum (19) vendideris, id mihi nuntia; quod concupiveris *istius olei* tibi mittam. Multam salutem sorori amatae, dominae conjugi tuae (20). Deus adspiret, ut

vestrum uterque hodie gaudeat salute et valetudine incolumi. Salutem tibi imprecatur amicus tuus. N. Scriptum die XXIX Maji anni MDCCCXII Tergesti urbe.

III.

Fratri carissimo, doctissimo, praestantissimo, Chawagae (15) Domino meo N. quem Deus O. M. conservet!

Post multum desiderium faciem tuam beatam videndi, nuntiamus tibi, quod, quapropter Deus mihi celebratur, litterae tuae carissimae ambae ad me pervenerint per dominum N., qui me interrogavit (21) meisque ipsius manibus eas tradidit. Quarum ubi legissem et intellexissem pulchre et eleganter dicta (22) nonnulli popularium meorum, quorum sum contubernalis, postquam et ipsi eas vidissent et legissent, mutuo familiaritatis usu se tecum conjunctos esse voluerunt. Quamobrem eorum uni, cui multa de te narraveram, concessi, ut duas huic epistolae lineas adjiceret. Quod vero dictum tuum, carissime, te veredis publicis (10) litteras ad me dedisse, scias velim, quod ab eo inde, quo huc perveni die, omnibus hebdomadibus sciscitatum ivi, num epistolarum a te datarum aliqua accesserit, sed nullam reperi, ut adeo maxima afficerer tristitia (23). Nunc vero, quasi tuam ipsius, amatissime, spectassem faciem laetor. At si Chavaga (15) illo non usus esses epistolae curatore, plane nihil litterarum a te accepissem. Laudes igitur dicantur Deo. Quam primum autem huc perveneram historiis describendis operam navavi, quas nunc absolutas ad dictum Chawagam pertuli, qui mihi L illos, de quibus mecum conveneras, francos dedit. Jam hoc teneas, Lutetia me mecum sumpsisse libros impressos arabicos, eosdemque gallice versos, quos loco debitae pecuniae acceperam: e quibus hic, quot potui, ven-

didi; nonnulli mihi restant. Volui itaque te consulere, num velis, ut eos tibi mittam. Sed haerebam responsum abs te exspectans. Tandem hac sese offerente opportunitate, Chawagam rogavi, possitne eos cum aliis mercimoniis ad te transmittere. Respondit: *cedo quod penes te est.* Ita ei tradidi quinquaginta carminis exemplaria et viginti quinque illius de columba tractatus, simul cum historiis (6) descriptis ad te perferenda. Rogatum te volo, ut illa mihi apud te vendas, quae autem non vendantur apud te, in aliam Germaniae urbem ad amicorum tuorum aliquem mittas, qui eos tibi vendat. Pretium eorum tractatus quidem de columba tres francos, carminis sesquifrancum circiter statuo. Per nostrum autem amorem, mi frater, eis vendendis strenue incumbe, tuum illa existimans mercimonium, nec de pretio aequissimo consultes. Quod maxime arridet in festinatione situm est, ita ut quamprimum pretium mihi mittas. De infortunio illo, quod hic accidit, verum rescivisti. Mensis nunc est et quatuordecim dies, quod a Gallia hic appulerat celox (24), quadraginta quatuor tormentis bellicis (25) et trecentis sexaginta hominibus onusta. Haec cum ignis pulverem (26) corripuisset nitratum, tota in aërem evolavit, quod dimidio horae post noctem mediam praeterlapso evenit. Deo autem gratia est agenda, quod hujus urbis incolis detrimenti omnino (27) nihil importatum est, eo tantum excepto, quod de fenestrarum vitro (7) fractum est. At e miserandis illis, qui in nave commorabantur, nemo evasit, inter quos mulieres etiam nonnullae fuerunt. Haec sunt, quae nunc tibi scribere possum. Deum oro, ut me optimum tibi comprecantem exaudiat. Salutem sempiternam tibi dicit amicus tuus N. N.

Datum die XXVII Octobris anni MDCCCXII Tergesti urbe.

„Mi frater! narravit mihi amicus N. N., se magno familiaritatis usu „tecum conjunctum esse, binasque tuas ostendit (28) litteras, de quibus ve„hementer gavisi sumus (23). Sis ergo et noster socius et amicus. Certe (8) „spero, ut quando contigerit occasio, mercaturam aliquam facturi simus mer-

„cium, quibus hinc ad vos transitus liceat. Multam tibi et gynaeceo tuo „salutem. Pater meus Alhag Omar . . . te salvere jubet. Scripsit „amicus tuus

Mustapha filius . . . . .

IV.

Amico carissimo Chavagae N. N. quem conservet Deus.

Post multum desiderium faciem tuam videndi, certiorem te facio, quod fine mensis Martii h. a. longam tibi scripsi epistolam, qua multis de rebus, quas antea a me sciscitatus eras, tibi exposui. Nec non libros tibi misi arabicos una cum libro: mille noctes et una per Chavagam amicum nostrum, et longus fui in omnibus rebus tibi perputandis. Dein exspectabam responsum tuum. Interea ortum est bellum inter regem vestrum, quem Deus victorem faciat, et Gallos. Induciis vero inter eos conventis dixi: fortasse tibi mittet aliquod responsum, sed nihil conspicatus sum. Tum ortum est bellum inter imperatorem Germanorum (29) et Gallorum, et occuparunt Galli omnes fere Illyriae tractus. Accessit etiam Germanorum exercitus navibus Anglicis, multosque per dies arcem Tergesti obsederunt, terraque et mari, tormentis bellicis (25) advectis exaggeratisque vallis (30), tormentorum (31) et mortariorum (32) pyrobolorum globis petiverunt, absque ut oppidum inde multum detrimenti caperet, quamquam viginti dies hoc statu exegimus, Gallis itidem (33) globis impetere non cessantibus. Quibus praeterlapsis pacti sunt, ut Gallorum exercitus, arce Anglis et Germanis tradita, sine armis exeuntes in Italiam recederent. Quod hujus hebdomadis feria secunda effectui datum est, universis i. e. septingentis et quod hunc numerum excedit viris urbem relinquentibus. Postquam autem egressi erant Galli, Angli

miserunt triginta naves majores et minores peditatu et equitatu apparatuque omnis generis bellico confertas, quae diei Mercurii noctu cum tribus navibus longis (34) duabusque celocibus (35) profectae sunt, nemine quo tenderent non ignaro, summo classis praefecto (36) hic remanente. Jam (37) vero audivimus multis de jacturis, quas passi sunt Galli ipsius Napoleonis auspicio. Itidem in Italia exercitus ejus pars magna periisse, alia etiam aufugisse dicitur, hodieque narrant exercitum Germanorum occupasse Mediolanum et in dies procedere. Nihil mirum, quod post hostium discessum magnum hic celebratum est festum, per diem et noctem, hominibus prae multo et nimio gaudio lacrimantibus. O amice, Dominus creaturarum respexit eos, suos cultores, aerumnasque, liberandos benigne curans, sustulit. Ita Deus O.M. vestrum quoque regem cum Germanis et Ruthenis victores praestet. Vellem mihi nunciares, quo nunc tendat Gallorum exercitus et an verum sit, exercitum Ruthenicum Rhenum (38) trajecisse, qui Galliae sistit fines. Nunc mi frater hic mare est liberum, pro lubitu venitur et abitur (39), undique appelluntur naves liberoque gaudet oppidum portu (40), hoc est mercimonia intrant et exeunt sine portorio (41). Litteras tuas ne praecidas mihi. Vale in sempiternum. Die XIII mensis Novembris anni MDCCCXIII Tergesti urbe.

Eodem quo datum subsignamus momento (42) percipimus Gallos Lipsiam urbem intrasse, praeliumque aliud in Italia commissum esse, e quo Galli victores evaserint. Dominus noster efficiat optimum. Dom. Alhag Omar . . . et filius ejus Dom. Mustapha et Dom. Achmed Algeriensis plurima te salute impertiunt.

V.

Amico carissimo, honoratissimo, praestantissimo, doctissimo, Chavagae N. N. quem Deus O. M. conservet.

Postquam maximum te videndi desiderium contestati plurima salute te impertivimus, notum te facimus, quod epistola tua aestimatissima, data XIII Decembris, ad nos pervenit, incolumitatemque tuam, Deo laudes dantes, cognovimus. Semper bene te habeas! Non nisi Deus gaudium meum quantum fuerit compertum habet, quoniam ex longo tempore nullum a te responsum videram; ideoque semper ei agendae sunt amplissimae gratiae. Vidi etiam omnia, quae de rebus bellum spectantibus mihi nuntiasti, nec possum quin optimum Deus tibi retribuat comprecer. Fiat! (43) Quod ad flabella et pastillos odorantes (44) quos, a me tibi missos, scripsisti mercatorem illum, cui ista tradideris, vendere non posse, fac eos remittas oblata aliqua occasione. Dactylorum videbo, quando advenerint naves, num tibi mittere possim dolium duorum centenariorum, cujus cum mercatorum vestratium aliquo societatem faciam. Mare nunc divina gaudet protectione, quotidie intrant naves, et Anglicus copiarum navalium praetor cum tota classe sua hic commoratur ad auxilium Germanis ferendum, qui quidem hisce diebus in Italia, regione Veronae, fortunam adversam experti sunt, Romamque adhuc plane non tetigerunt. At coelitus eis auxilium venit, et credo brevi vincent. Venetiae sunt obsessae a continentis latere, ita ut nihil intrare queat. Milites Franco-galli eas tenent. Necessarium est, ut fame expugnentur. Tu vero fac sciam verumne sit, exercitus foederatorum trajecisse Rhenum, nam vos illis propiores estis, quam nos, nec ignoratis, quid illic geratur. Dominus Achmed Algeriensis profectus est in insulam Jazynthum quae est sub ditione Anglorum, ut navem oleo onustam (45) eo conducat. Dictitabat quidem, se tibi scripturum, verum nullum ei contigit otium. Dominus Hagg Omar, cum litteras tuas ei ostendissem, vehemen-

ter laetatus est et, „scribe, inquit, amico tuo, eumque salutans meis verbis dic, ut mihi lintei aliquid mittat." Pretium ejus, me addere jussit, cuicunque volueris, isthic sese esse traditurum. Quamprimum igitur acceperis litteras, quaere in fabricis linteum pulchrum, latitudinis solitae, filis tortis et sanis. Nec tamen necessarium est, optimae sit notae, ecce segmen in hac epistola, quo utaris specimine. Itidem filius ejus Dom. Mustapha jussit me te salutare suo nomine et rogare ut, si penes vos linteamina valde subtilia (46) invenisses, eorum duodecim (47) alba, magna, apta crumenae (48) ipsi sumeres, itemque duodecim variegata, collo circumliganda; porro si apud vos reperiantur emunctoria magna, filis sanis iisque bene consertis, quorum stamen sit caesium, subtemen album, gossypio rubro striata, non praedominante colore albo ac, quod praecipuum sit, tota lino aut cannabo contexta, ne cesses nec verearis ea fide (49) mittere, periturum enim nihil; si vero ad lubitum fuerint, quod Deus velit, multum inde boni esse nasciturum. Quamobrem eme linteum, collaria et emunctoria iisque adde flabella et pastillos, cave tamen ne frangantur, et cura ut linteo grosso, alioque, cera oblinito, obducta, vecturae mercimoniis transportandis destinatae tradantur. Adjice praeterea specimina omnium, quae in patria tua usu veniunt mercium, etiam panni (49*) earumque omnium nota pretium. Deo bene vertente unum alteri ansam dabit. Quod tam prudenti quam tu es viro satis est. Praeterea benignitatem in eo spectaverim, ut mihi nunties, num bona apud vos cudantur arma, e. g. tela pyria manualia (50). Quae si apud vos reperiuntur, sume mihi par aut duo paria speciminis loco, unum aeneis alterum chalybeis laminis praefixum (51). Mittam ea Tunetem et, ubi popularium meorum necessitatibus (9) convenerint, multa tibi mandabo comparanda. Atque hoc habebam tibi exponendum. Dominus noster te conservet et faciat, ut optimum abs te exaudiam. Salutat te amicus tuus. N.

Scriptum die IV mensis Januarii MDCCCXIV.

Annus omnis rediens bona te offendat fruentem valetudine, et novus iste annus si voluerit Deus, nobis et vobis faustus sit ac felix. Hoc efficias, creaturarum Domine! Eo momento, quo has litteras absolvi, nuntiatur, reges foederatos Lutetiam intrasse, Napoléonem throno removisse, omnibusque hominibus suis ei adversantibus, statuisse, ut in insulam Ilvam, tanquam in exilium, relegetur, rege e priorum dominorum stirpe legitima constituto, et alia hujusmodi mirabilia. Ista sane magna, mi frater, est conversio, cujus in populorum historia nusquam reperitur similitudo. Venetiae cum aliis arcibus traditae sunt, in quibus magnam sclopetorum (52), cum verutis suis (53) et pulvere tormentis apparato *(cartouches)* (52), aliarumque rerum copiam invenerunt.

VI.

Viro dignissimo, fratri carissimo Chavagae N. quem Deus conservet!

Post multum desiderium te certiorem facimus, frater carissime, epistolam tuam aestimatissimam datam nono die Maji ad nos pervenisse Deumque O. M. simul ob valetudinem tuam incolumem laudavi atque comprecatus sum, ut ita semper tibi bene esse audiam. Nec mihi vitio vertas velim cunctationem in responso ad litteras tuas mittendo. Nam tribus post litteras tuas acceptas diebus epistola me pertigit Tripoli occidentali data a sororis meae filio, et allata per Liburnum, quae filiam meam amatissimam, Marganam, oculorum meorum lucem, mortuam esse, mihi indicabatur. Scribit ille, quotidie eam plorasse, et nomine meo me vocantem clamasse: „O! „mi carissime pater! vivamne adhuc donec faciem tuam adspiciam (54) nec

„ne? suprema vero hora dixisse," adducite mihi dominum Achmed Alge-„riensem, ut, eo de patre meo interrogato, animus meus tranquillus reddatur!" Nec tamen quo morbo illa interierit mihi indicavit. O mi frater! ferre (55) non possum, noctu diuque fleo, quod non nisi duobus tribusve mensibus peractis, eam videre potuissem, ipsiusque et majoris natu filiae, viduae, adspectu cor meum gavisum fuerit, jamque illud infortunium mihi accidit! Pergit autem: „ne diutius moreris, mi avuncule, veni ut filiae „tuae, matrisque animos lenias, priusquam mali quid iis acciderit." Hanc ob rem, quamquam negotia mea nondum omnia confecta sunt, et duos tresve adhuc menses hic commorari constitueram, tamen ego, cum Hagg Omar . . . omnibus suis negotiis ad finem perductis in Meliten profectus sit, haud diutius post ejus abitum hic morari possum. Namque illo Tunetem absque me reverso, mater mea et filia Halima me unquam esse rediturum desperabunt, quippe qui, ut tibi ante hac indicavi, me hoc tempore reversurum esse ipsis juraverim. Hinc quam optime potui me expedivi et, hac ipsa profecturus hebdomade, in nave conducenda et me ipso ad iter componendo his diebus occupatus, ad te litteras dare non potui maturius. Ne tamen putes, me post abitum meum tui fore immemorem, nec amplius litteras tibi daturum esse. Per Dei veritatem, nunquam ego, ad diem usque supremum, tui immemor ero, nec desines esse ante oculos meos; cum omnibus hominibus in patria mea de te colloquar, et cuique amicorum et cognatorum meorum litteras tuas ostendam, qui, dulce argumentum (56) suavemque tuam scripturam spectantes videant, num in mundo amicus tibi inveniatur comparandus. Jamque meis retuli, in Borussia mihi esse amicum, fratre amantiorem, Lutetiae cognitum, quo in toto mundo cariorem me non habere, multisque aliis additis iis postremo dixi: quando reversus fuero Tunetem, recitabo vobis litteras ejus, quibus amorem nostrum spectetis, itemque te in patriam tuam me invitasse, idque non ab animo fuisse, sed ipsorum causa esse intermissum.

Librum proverbiorum usitatorum eo quo mecum convenisti es pretio tibi mittam. Itidem syngrapham (56*) accepi de CCCCXVII florenis et XX crucigeris, et vidi, ut tu quidem antea mihi nuntiaveras, vesirum pretio Haririi nihil addidisse. Argentum mihi datum est a Chavaga N. Deus tuam et ejus salutem adaugeat! (57). Cras ei tradam librum proverbiorum et historiam equi Maimoun (58), nec non librum ineptiarum in Karakouschi (59) judiciis, quindecim historiunculas risum moventes complectentem. Quorum summa efficit sex plagulas et dimidium, decemque florenis constat, singula plagula quatuor Francis aestimatis, quas sex plagulas quidem pro decem illis florenis esse volo, quorum pro cista expensorum rationem exhibuisti. Nam hoc te non oportet. Accipis igitur, cum libro proverbiorum, in universum undeviginti plagulas et dimidium, ut adeo triginta mihi debeas florenos. Quod vero tibi redibit pecuniae mihi solvendae, id apud te retineas, (60) donec quid agas tibi indicaverim. Respectu libri dicti *Scientiarum detectio* (61) quem concupivit *visirus*, qui, quaeso mi frater, velle potes, (62) ut pecuniam erogem, totumque fortasse per annum desiderem; nam istorum, quos vendidisti librorum, dum venit pretium, diutius quam tres menses exspectavi. Quid tum si Tunete miserim? Attamen, occasione oblata, non cessabo mittere. Modo (63) vereor tardum pretii ad me accessum. Quidquid mittam id per Chavagae N. manum fiet, cujus tu in litteris dandis itidem opera utere, quas mittet sive per Melitem sive per Liburnum. Quod si vero inventa fuerit navis recta via Tunetem petens, hac ut eas, Tunetem mittat ei scribas. Praeterea scias linteum, collaria et emunctoria, quae a te accepi, me ostendisse Arabum occidentalium quibusdam, qui mille regales aureos (64) se tibi missuros esse dixerunt, ut linteum eis emeres. Sed hoc fieri non posse dixi, quippe quod amici mei hac de re explorarem sententiam. Quod aegre ferentes alia emerunt mercimonia, dicentes: „scribe amico tuo, nos ei, si fieri possit ut linteum huc perferendum det, argentum esse missuros. Mercator etiam isthic aliquis, mi frater, quinquies mille obtulit florenos, ut mercimonia

Tunensibus necessaria (9) emerem, lucri cum eo societatem initurus (12); idque mihi placet, et profecturus mercimonia mecum traducam. Jam incepi emere octingentis florenis res, per quas scimus nos lucrum facturos. Utinam mihi linteum mittere tibi licuisset! ad emendum mille florenos tibi missurus fuissem, quoniam Tunete lucrum hac in re faciendum est. Pannus (65) vero hic reperitur et pulchrior et vilior missis speciminibus tuis. Addo, si iterum (33) mittere queas linteum, compares loco trium de quibus scripsi, quinque telas, una cum collariis et emunctoriis, in domus nostrae usum, quas, operae nihil parcens, per Viennam transportari jubeas. Id certe (8) audiveris Napoléonem ab insula Ilva aufugisse et Galliae terram adscendisse, ubi totus se cum eo conjunnxit exercitus. Hodie eum dicunt intrasse Lutetiam, alii contra Genevae Helveticae regiones petiisse. Fertur etiam *Blücherum*, summum exercituum vestrorum ducem, Galliam cum copiis suis penetrasse et alia similia. Cista quam misisti, cum omnibus quae ei iucluseras, allata est. Deus augeat salutem dominae propter marsupium, quod mihi dono misit. Quando Tunetem rediero, e regionibus nostris, ei aliquid quod eam oblectet, Deo annuente, mittam. Plurimam salutem dominae, sorori carissimae, visiroque, viro dignissimo. Scriptum die XXVIII. Maji MDCCCXIV. Tergesti.

VII.

Viro dignissimo, amico carissimo, honoratissimo Chavaga N. quem Deus O. M. conservet!

Post plurimum desiderium tibi nuntio, ambas tuas epistolas aestimatissimas advenisse, quarum altera, scripta XII. Junii per Tergestum, altera mensis memorati XXII. per Galliam me consecuta est. Utraque brevissimo advenit tempore, continens syngrapham (65*) de CCXL Francis, quaprop-

ter Deus multum tibi, mi frater, bonum referat. Hoc prae ceteris tibi scribere volui, nihilque refert (66) quod ista eas via misisti, quae mihi valde probatur. Quod vero multas te dicis ad Ibrahymum litteras dedisse, nec vidisse responsum, scias, dictum, illum Ibrahymum duobus abhinc mensibus Tunete mortuum esse, melancholia laborantem, anno et quod excurrit, postquam Liburno reversus erat, praeterlapso.

Quod nuntias mortuam esse uxorem tuam Helenam, mi domine, scit Deus, quantopere id dolui, quoniam sororis eam loco habebam; miseram illam quae mihi paullo ante scripserat! Magno igitur et omnes mei impleti sunt moerore. At hoc tibi sit solamen, mi carissime frater! mortalium nemini remedium esse. Nos omnes imus ad mortem. Quare explica et consolare animum tuum. Nimia tristitia nihil tibi affert commodi, sed nocet valetudini. Dominus vero tibi praebeat patientiam, filiamque tibi conservet tuam et ab omni defendat malo. Fiat! Scio equidem, mi frater, quam acerbum sit ab uxore dirimi. Sed errantem te suspicor, quod eam mortuam memoras V Maji, sepultam vero nono ejus mensis die. Quomodo quatuor dies eam insepultam esse concedere potuisti? Si non errasti, rationem ejus mihi trade, nam id valde mirum. De seminibus scias, hic non reperiri tabernas, quibus vendantur. Eundum est in hortos ad ea colligenda. Itaque cum popularium meorum aliquo pactus sum, ut decem regalium aureorum pretio, certam mihi seminum plantarum hortensium et aliarum conquireret summam. Collegit igitur huc usque XXXVI genera, quae singula involvi chartae, inscripta, ut jussisti, nomine arabico, et universa cophino palmae foliis contexto (66*) inclusi. Quem consutum et externe signatum „*ad Chwagum A.*“ tradidi mercatori nauclero, cui ille pro allato naulum (67) dabit. Quod si postea quid repertum apportaverit, alia id transmittam nave. Lintei nunc quaevis hic invenitur species, Germanici et alius, maxime ab eo inde die, quo naves Tergesto advenerunt. Lintei cujusmodi ad me misisti, tela decem hic hodie regalibus constat. Accedunt lintei, quod a vobis huc transmittitur, vectura in continente usque

Tergestum, deinde naulum et hic apud nos denique vectigal (68) aliaeque impensae, unde videbis quanta hac in re jactura sit.

Hoc ipso momento homo ille sex alia seminum genera et in his Meluchiae (69) apportat quae caeteris in cophino adjunxi, ita ut quadraginta duae sint chartulae. Syngrapham (70) amicorum meorum alicui tradidi, qui mihi dodrantem pretii dedit, reliquum tempore futuro soluturus. Dominus me optimum tibi comprecantem exaudiat. Salutem tibi sempiternam amicus tuus N. Scriptum Tunete mense Octobris MDCCCXVI.

VIII.

Amico carissimo Chavagae N. quem Deus O. M. conservet.

Post plurimum desiderium te certiorem facio, quod tribus abhinc mensibus litterae a te binae aestimatissimae cum cursore adveuerunt, qui Tripoli occidentali huc tendere solet. Nam Chavaga A. eas Tergesto per istam urbem perferendas curavit multo eas ante scriptas, alteram die IV Februarii, alteram ejus mensis die XXVII. E quibus valetudine tua incolumi cognita, Deum celebravimus. Ab isto inde tempore epistolam a te nullam vidi, quamquam et litteras alias et argentum, quod mittere promiseras exspectabam, ut ad eas hasqne simul responderem. Nimium vero tardante epistola tua, coacti eramus, ad acceptam illam solam responsum dare. Itaque te edocemus respectu seminum, nam et florum semina te cupere significasti, ad istam rem opus esse decem regalibus aureis, praeter priores. Convenire, cum illo homine non possum de certa quadraginta aut quinquaginta generum summa. Tantummodo quot invenerit apportabit, sive decem plus, sive minus. Nam in hortis ipsi circumeundum est, nec alia apportare potest nisi quae in eis reperiantur. Deinde dixisti, Tergestum tantum attigisse quadraginta unum genera, quod aegerrime fero, quia in illis erant apud

vos non occurentia. Ignoro quod genus deficit. Si mihi retulisses nomina allatorum, desideratum inquisivissem, atque misissem. Forte est Daru' (71) species Dara (72), cujus exempla in Europa non reperiuntur. Fortasse singulis generibus aliquantulum detraxerunt, rarum illud autem totum abstulerunt. Equidem vehementer cupio a te epistolam accipere aliquam ut de rebus tuis certior fiam. Historiam Hayatunnafús, de qua dixisti tibi descriptam cum aliis apud me nutui tuo reservo, quibus insuper duas alias adjiciam. Etiam possideo chronicon regum, decem regalibus aureis hic a me emtum, exiguo sane pretio. Et hoc cum lepidis quibusdam historiunculis, quas describam, tibi mittere animus est; sed mi frater, plagula regali aureo constat. Quod si vero pecuniam huc mandare volueris, manda regales aureos, nam Francorum apud nos valde ambiguus est valor, et quidem centum, ob maguum, quo separamur, spatium, nec quicquam metue. . . . . .

Suprascripta epistolà est exemplum alius, quam per Liburnum ad te misi, curante fratre Muhammedis . . . qui in insula Melite habitat; et jam credo eam pervenisse, quia duo fere praeterlapsi sunt menses. Nunc has litteras per Massiliam ferendas adjicio. Hodie tamen scias, novam epistolam datam die XIIMaji, per Tergestum accessisse e qua cognovi, semina omnia ad te esse allata, excepta Bamia (73), cujus tibi, quando alia mittam portionem aliquam adjiciam.

Innuis quoque, juvenem ex amicis et discipulis tuis aliquem huc venire velle, litteris docendis quod vitae necessitatibus sufficiat acquisiturum. Sed mi frater, hoc si voluerit frustrabitur; non acquiret aquae quam bibet, pretium; nam disciplinae illae nihili apud nos existimantur, et omnes res nostrae omnino aliter se habent. His accedit tempus angustum, et magna annonae caritas in mercium vilitate. Tu vero mi frater, ne litteris tuis nos diutius carere sinas. Tota domus mea te salvere jubet pariterque ego salute sempiterna impertio. Amicus tuus N. Scriptum Tunete exeunte Decembre anni MDCCCXVII.

IX.

Viro dignissimo, fratri carissimo, Dom. N.

Post multum rerum tuarum cognoscendarum desiderium, certiorem te facio, carissime frater, me ante hunc mensem aestimatissimam tuam epistolam accepisse, syngrapham alteram de CLX florenis continentem. Qua de re quantopere gavisus sim, ante omnia, mi carissime tibi exponendum est: id quod Deus solummodo scit; quandoquidem annus et sex menses sunt, quibus nullam a te epistolam accepi, et quam accepi novissimam, ea ante hos duos annos data erat. Quocirca maxime de te eram sollicitus, eoque magis, quod per Tergestum et Liburnum quoties! scripseram, etiam per Massiliam, sed cor meum in nuntiis de salute tua exspectandis perstitit. Tamen hodie sunt circiter duos menses ad virum mihi amicum Liburni commorentem, scripsi, ut si ipsi Vratislaviae esset, quocum commercium litterarium coleret, hic de te exploraret, num adhuc in vivis sis. Respondit neminem sibi Vratislaviae esse, quocum tale commercium coleret, sed amicum quemdam Liburni epistolarum commercium in terra vestra colentem, qui de te exploraret. Hac igitur epistola mihi a te obtingente laetitia et gaudium ad summum me incessit et gratias egi Deo, quod salute optima frueris. Atque hoc mihi maximum est, uti Deus cor meum novit. Deinde autem, quum de allatis libris, quos tibi, per manum beati (74) Chavaga Raphael Kuhin, miseram, nihil rescripsisses, hic vero ante annum et quod excurrit mortuus sit, nec eos libros abs te petitos esse nuntiaverit, et ego nescirem quem de te consulerem, tua caussa valde sollicitus fui, donec dicta tua epistola adveniret. E rebus patriam meam spectantibus, hoc, mi carissime, memoratu dignum, quod ante hos sex menses pestis apud nos plane cessavit postquam per duos annos et dimidium duraverat. Tempore aestivo proxime praeterito fervor praeter solitum ingens incidit vento sammum vehemente cum aestu diu apud nos flante, et pluvia deficiente, unde

non solum omnia grana, quae sata erant, exusta sunt, omnisque interiit messis, et eximie increvit pretium annonae, quae una cum hordeo e sex mensibus mari, pretiis ingentibus ad nos advehitur; quin oleum defecit caloris magnitudine olivas in arboribus comburente. Atque iste fervor in causa fuit, quod pestis desiit. Verum tamen hoc anno, gratiae habendae sunt Deo, larga nos pluvia Dominus noster donavit, et multum bonum homines seminarunt. Utinam Deus sua erga nos beneficia augeat! Amen!

Praeterea notum te facio, quod septimo octavo et nono praeteriti Februarii die vehemens et rapida accidit procella, grandine et pluvia decidente marique tumultuante et furente. In portu nostro circiter triginta naves erant, e quibus non nisi quatuor aut quinque servatae sunt, reliquarum pars in littore fracta, pars (39) mari submersa est. Unde magnum mercatoribus accidit damnum. Ego quoque duos lintei fasces habebam, quos Liburno acceperam, ut eos a possessoribus in clientelam meam commendatos venderem; sed gratiae sint Deo, ante tempestatem illam (75) ad terram allati sunt. Scias, mi frater, pestis tempore, quae quotidie mille homines perierunt, omnes Franci (Christiani) Consules et permulti alii, domibus suis inclusi erant, ego quoque ipse nisi in manibus meis fuissent mercimonia, amicorum meorum, quae venderem, in horto me inclusurus, aut primam quamque regionem petiturus fuissem. Lintei, involvendis cadaveribus idonei, pretium maxime increvit; nec libros mihi comparere potui, timens, ne peste inquinati essent, eumque, qui eos tangeret, laederent, nisi ubi per quadraginta dies aëri expositi atque ita purgati essent. Vidi te mihi misisse CLX florenos pro libris, pretiumque chronici Kermalii statuisse quadraginta et octo regales aureos, Hamsae vero Ispahanensis librum decem regales. Quod fecisti, mi domine, est salutare, et tibi proficiat (76) gaudioque sit pro voluptate, quam te salvum esse percipio. Hisce mensibus, pretio vilissimo venditi sunt libri hominum peste defunctorum, quare iterum te hortor, ut pecuniam mittas, nec quidquam verearis, etiam si sint

ducenti trecentique regales aurei, pro qua (pecunia) multos tibi eosque pulcros libros vili pretii mittere pergam. Scriptum in urbe Tunete, diebus mensis Martii MDCCCXXI.

En lepidum, quod in libro aliquo inveni, aenigma:

Duae Ain, Ain inquam duae, nec tamen Ain videntes,
et in quaque harum duarum Ain sunt duae Nun;
Duae Nun, Nun ajo duae, nec tamen a calamo pictae
et in quaque harum duarum Nun, duae Ain. (77)

Aliud:

Pulsavi ejus portam, donec remittebant ictus,
et mecum collocuta, memet vulneravit. (78)

X.

Viro dignissimo, amico carissimo N. honoratissimo, quem Deus O. M. salvum reddat! (79)

Postquam plurimum nostrum, faciem tuam beatam, omni felicitate summaque salute ornatam adspiciendi desiderium declaravimus, scias, ante hunc diem, tempore felicissimo et hora nobilissima, aestimabilem tuam epistolam, die VIII Decembris a. p. scriptam, ad nos pervenisse, cui involuta fuit alia, per manum tuam Tunete nobis transmissa. Quam quod statim ad nos perferendam curasti, gratiam tibi agimus, et Dominus tuum nobis amorem conservet. Intelleximus omnia, quae exposuisti, et ob salutis tuae integritatem Deum O. M. laudavimus. Scripsisti te nostram su-

pradictam epistolam errore resignasse, at duobis lectis verbis, cum intellexisses, eam non ad te pertinere, totam perlegere (79*) non continuasse (80), atque hoc mihi asseverasti. Scias vero (37), id nullius esse momenti; nam quicunque vivit, certis temporibus in multis homo errat. Qua in re quod errore fit, nunquam nobis molestum est; id quod te scire volui. Rogasti (80) ut tibi responsum demus, etiamsi duae tantum essent lineae, quas pro amuleto haberes; et mi amice, quum (81) inceperis (80) commercium literarium nobiscum colere, omnino nostrum est, tibi respondere. Nam proverbium usitatum dicit: Qui ad te tendit, huic debitum suum praesta! Praeclare fecisti, quod nostrûm memor nobis scripsisti, ac deinde humanitatem tuam eo declarasti, quod nobis obtulisti, quodcunque nobis e regione tua necessarium sit: quam tuam idcirco benignitatem laudamus. Deus tuum nobis conservet amorem! Ac si quid nobis necessarium visum fuerit, id tibi suo tempore indicabimus. Nos nunc Liburni commoramur; quod si igitur aliquid hac ex regione tibi necessarium fuerit, hoc nobis indica; nunquam ulla intermissio culpa nostra accidit. Creaturarum Dominum precamur, ut haecce epistola salvum te et incolumem attingat. Salve et felix sis in sempiternum!

Die IV. Februarii, Liburni anno MDCCCXVII.

Alhag Muhammed.

XI.

Viro dignissimo amico carissimo, Domino (82) N. quem D. O. M. in incolumitate conservet!

Post declaratum desiderium maximum lumina faciei tuae beatae omni in felicitate et incolumitate videndi, hoc tibi, honoratissime nuntiamus, quod faustissimo atque laetissimo tempore cara tua et aestimata epistola, scripta

die II mensis praeteriti, advenit, quam perlegimus laeti de bona tua valetudine et omnia quae exposuisti, itemque ultimae nostrae epistoloe ad manum tuam adventum percepimus. Ingenium tuum nobilissimum complexum est omne, quod antea explicaveramus; et cognito, nos a te duos petiisse lintei fasces, mandasti, ut duo ad te mitteremus (83) segmenta, quibus in mittendo uti possis speciminibus. Jam vero tibi indicamus, nunc non esse (79) quod nobis istos mittas, quippe qui petitos ab hujus loci amico quodam acquisivimus. Alio tempore (84) si rei cujusdam e vestra terra redierit necessitas, tibi indicabimus; nam nullo modo tua humanitate possumus carere (85). Quod rogasti, ut, si habeamus libros arabicos, quos vendere velimus, hoc tibi cum pretio indicaremus, scias, carissime, nos nullos habere libros arabicos, quos, si nobis essent, tibi haud detenturi foremus. Quod vero benevolentia tua nobis cara est, nosque necessitatibus tuis inservire cupimus (5): cuidam amicorum nostrorum, in Aegypto habitantem de quatuor libris scripsimus, qui contineant chronica, carmina, narrationes et alia, quos allatos ad te mittemus. Si quid praeter libros (86) desideraveris, nos fac sciamus, ut iterum Aegyptum scribamus, nam votis tuis satisfacere in summis nostris desideriis est. Quaesivisti praeterea num semina, quae si volueris, ex Aegypto tibi comparare possimus, et scias, carissime, tibi nonnisi nobis indicandum esse quodcunque cupiveris, nosque nunquam esse defuturos. Quaecunque igitur semina cupieris, eorum genera nobis indica, notum enim tibi ipsi est, species eorum esse varias; ideoque seminum, quibus tibi opus est, nomina et genera nobis enarra, sintne medica, an fructuum (87) an florum, ut Aegyptum scribam, ut mittant petita. Tranquillus sis. Dominus noster te tueatur, tuamque vitam prolonget in omnibus bonis, egoque pro te precor.

Scriptum Liburni XVI Junii anni MDCCCXVIII.

Ab Muhammed . . .

Huic (epistola) inclusum est responsum Chavagae Johannis N.

XII.

Viro dignissimo, amico dilectissimo, praeclarissimo Domino N. honoratissimo, quem Deus conservet, cujusque gloriam et vitam prolonget.

Postquam (88) personae tuae aestimatissimae quod ei debetur honoris et venerationis obtuli, desideriumque ubérrimum et votum summum lumina faciei tuae hilarissimae, quam Deus O. M. omni bono ornatam tegat et custodiat coram videndi et contemplandi declaravi: eorum, quae manibus tuis a me proponenda sunt (i.e. quae tibi scribere volui) primum hoc est, ut de salutis tuae integritate et rerum tuarum statu bono te interrogem; Deo volente sanitate et incolumitate plenissima vestitus eris. Deinde tibi nuntio, quod ex illo tempore quo primas litteras, quae a te ad amicum nostrum carissimum, Domiuum Alhagg Muhammed . . . . . pervenerunt, scriptas elegantibus tuis ductibus et dictionis tuae nitidae claritatae ornatas vidimus: cor nostrum preciosissimam tuam amicitiam exoptavit, et statim summum apud nos exortum est desiderium et ingens cupido, nos nobilitandi (88*) caram tuam personam cognoscendo, et die ac nocte meditati sumus de aliqua via, qua epistolam tibi manu nostra scriberemus. Sed non vidimus nec ullam quidem (89) rationem sufficientem et sine provocatione tibi molestum esse, et caput tuum literis inanibus scindere (90) non ausi sumus, ne id aegre ferres. Praeterea nobilissimum animum tuum rescribendi officio gravatum esse noluimus. Nunc vero cum (81) in literis tuis aestimatissimis honorificis ad Alhagg Muhammed N. dulci tuo sermone benignam mei mentionem injeceris, quae cor meum laetitia et gaudio implevit, ansam aliquam nactus, has tibi exaro litteras, primo ut quod mihi est officium exsequar, multum bonum tibi imprecans, gratiasque agens pro magna tua erga me benevolentia et suavitate, quibus superbia nos extulisti. Deus tui similes multiplicet, te sospitet et ab omni malo custodiat, longissimum-

que in tempus vitam tuam superstitem mihi conservet. Secundo, ut officia mea tibi offeram, amicitiam tuam implorans, ut, si volueris, animoque tuo nobilissimo placuerit, negotiis tuis, et omnibus, quaecunque curato opus fuerint, me honores ut capite et oculo (91) eis exequendis studeam, omnemque impendem operam favori tuo commerendo, quo augescat et crescat mutuus inter nos amor! Nihil aliud (84) habeo, quod manibus tuis carissimis proponam, nisi precationem, ut amoris tuae litterae continuentur, cum nuntiis de integerrima tua salute laetissimisque rerum tuarum status relationibus. Dominus te custodiat, vitamque tuam omni bono prolonget! Qui pro te precatur Johannes N.

Die XVI mensis Junii anni MDCCCXVII. Liburni urbe.

XIII.

Viro dignissimo, fratri carissimo, capitis nostri coronae, aestimatissimo, honoratissimo Domino N. cujus vitam Deus O. M. proroget!

Oblatis votis pro vita tua splendidissimis et salutationibus largissimis ac plenissimis, desideriisque animi impensissimis lumina faciei tuae serenissima omni in bono et incolumitate videndi, quod manibus tuis nobilissimis proponendum teque haud ignorare volo, est, quod ante hunc diem ad te dedimus epistolam satis longam, cui inclusa fuit alia, nomine tuo inscripta, a patruele meo Chawaga N. Damiatae versante, quae Deo favente ad te jam pervenerint, quasque tu, omni bono gaudens, videris. Et proxime a manu tua ad nos perveniet responsum cum jucundissimis de te nuntiis, ut de cara tua salute simus securi.

Nunc autem tibi scribendi causam dedit festum, cui appropinquamus tum nativitatis Domini nostri Jesu Christi, cui sit gloria, tum novi anni. Atque idcirco officium nostrum exsequentes de hisce festis illustribus tibi gratulamur, teque complectimur et osculo fraterno corde osculamus, ac dicimus: quovis anno fruaris salute optima et amoenitatibus, multos quidem per annos diesque longissimos, et omnibus attributis laudabilibus gaudeas. Deus O. M. te vivere faciat, vitamque tuam salvo tibi et incolumi proroget! Amen. Rogamus ut venerationem nostram cum omni observantia dignissimae tuae conjugi, dominae reconditae filiaeque custoditae nostro nomine offeras, eisque de dictis festis gratuleris. Itidem conjux mea et filiae te salutant, desiderium suum asseverantes et gratulantur ut supra. Vale in sempiternum! Johannes N.

Liburni urbe, primo Januarii die anni MDCCCXXI.

XIV.

Gratia divina et benedictio coelestis, descendet beetque filium nostrum carissimum spiritualem, eruditum (92) N. honoratissimum, cui Dominus Deus benedictione coelesti benedicat et a quo avertat malum omnium calamitatum intercessione matris Dei, virginis purae, Sancti Petri, et omnium Sanctorum. Amen.

Causa scribendi haec erat, ut te benedictione impertirem. Tum scias me accepisse et legisse epistolam tuam, cujus argumento cognito creatorem O. M. de integra salute tua laudavi. Deus felicitatem tuam adaugeat, quod (92*) in memoria tua permansi et in cogitationibus tuis vivo. Nam moestus injuria, qua expulsus sum, tristis et animo fractus ab iis, qui neque Deum

timent, neque proximum amant, tibi notifico, mi fili amatissime, me hoc in mundo injuria oppressum, sed jus meum a Deo hoc in mundo et in altero obtenturum esse. Pro tua et bonorum qui Deum amant, salute semper precor. Miser ego, inigne tractatus, sacerdos Dei celsissimi, injuria expulsus N. . . Bethlehemita, (93) e primoribus Hierosolymae primatum, patriam et gentem meam propter sanctam fidem dereliqui, ac de omnibus sectis iisque innumeris in Oriènte et Occidente, Deo adjutus, optime merui, cujus summum numen testis est. Postea bonum malo rependerunt. Tuam igitur, fili carissime imploro (93*) misericordiam et amicitiam, ut apud viros gubernaculum tenentes, quos nósti, reditum nostrum in Lutetiam cures. Quod mihi feceris boni, feceris Deo, nec mihi detineas literas tuas, nam miser sum et miser nihil nisi Deum aut tui similes habet. Scias penes nos esse expositionem, a filiis nostris Mamlukis, arabice conscriptam, spectantem meam et ipsorum aeternam et temporalem salutem. Rogo te, ut pro tua benignitate eam interpreteris et imperatori (94) tradas. Si Deo placuerit, manu tua proveniet bonum. Quare nos certiores facias, ut tibi scriptionem illam mittamus; ac tuum est, mi fili, vires intendere et in reditum nostrum operam impendere: ego enim pater tuus ac frater sum. Memento panem (95) et sal, quae nos intercedunt. Summam igitur operam des reditui nostro, utpote qui haud ignoras, omnem nostram pecuniam esse ereptam quadraginta septem scilicet millia et quingentos regales, cum a rege in Galliam relegaremur is in Pontificis maximi odium nos vocavit, eo quod anno MDCCXCIII viros triginta duos in domo nostra occultaveramus, ut morti eos eriperemus, cujus rei testimonia probatissima virorum perplurium principum, ducum (94) et sacerdotum, hominumque de plebe et foeminarum penes nos sunt. Jam venit Aid Begalènsis teque salvere jubet; itemque Josephus Ataya et Ibrahym centurio, Michaelque Cyprius centurio cum filio suo Hanna. Domusque Furturruman nec non Schahyn centurio

et Abdullah Howensis centurio ac Josephus Hamensis, aliique e Mamlukis te salutant. Bisque terque salutem sempiternam tibi imprecatur

N. Sacerdos injuria expulsus Bethlehemita.

Meloduni urbe Februarii VII die anni MDCCCVI.

XV.

Gratia divina et benignitas coelestis descendat beetque filium nostrum spiritualem, Dominum honoratum N.N. cui Deus Dominus amplissimam benedictionem impertiat et a quo malum omnium tentationum avertat, per intercessionem matris Dei, virginis purae, Sanctique Petri et omnium Sanctorum. Amen.

Causa hoc scribendi est, ut te benedicamus. Nuper (96) a te allata est epistola et quae exposuisti intelleximus. Quod ad (97) lignum mali granati (98) attinet, gratias tibi agimus; uxor centurionis N. . . peperit filiam, indeque illo non amplius (80) opus est. Peperit primo die mensis Augusti, duabus post (99) mediam noctis horis praeterlapsis. Deus salutem tuam augeat, quod laborem propter nos (100) sumpsisti, sed lignum dictum quod gravidis mulieribus prodest, haud invenisti. Gratias quoque agimus pro testimonio. Dominusque noster animum tuum erigat, ac Deo volente, ab hoc testimonio utilitatem nos esse capturos speramus. Iste vero N. . , qui male de nobis locutus est, nosque coram omnibus hominibus dedecoravit! iste nobiscum ita (101) agit? Postquam bene ei feci malo mihi rependit! Dic ei, (102) nos coram Deo jus nostrum esse vidicaturos. Nescitne, quod legitur in Bibliis: Qui vos vestivit (103) vestivit me, qui vos afflixit me afflixit. Dominum vero N. . . quod attinet, qui

pejus etiam egit, illique se adjunxit, hoc nihil omnino refert, (66) ignoscat iis Deus, eorumque ingenium illuminet! Evangelium sanctum dicit: si quis acquireret (104) totum mundum omnemque scientiam et perderet (105) animam suam, quid illud eum juvaret? Salomo sapiens dicit: totus mundus evanescit et vilis est ei, qui bene facit. Agite poenitentiam et revertimini ad Deum quantocyus. Perfer benedictionem nostris in gratia Dei liberis, et saluta virum dignissimum, existimatissimum, honoratum, reverendum dominum Achmed, praefectum (107) Aegypti, nobisque indica vicum, quo habitat, ac domus ejus numerum (108) *quod ut sciamus*, quando epistolam ad eum (102) scribamus. Saluta etiam filium nostrum, dominum Saba, cui litteras dedimus absque ut nobis reddiderit responsum; item saluta dominum Furtarruman, filiumque nostrum Petrum ac dominum Gubran Muhanna, nec non Dom. Michaëlem et Josephum Masabekitam, Josephumque Ataya ac Marcum, et omnes, qui de nobis interrogaverint. Adest pater Chalyli et Chalyl ipse atque çenturio (109) Elyas Mas'an, qui omnes bene valent ac te salutant. Filia Maria Sara te salutat, de qua antea dixisti, nomen ejus esse Sachra (florem), sed verum ejus nomen est Sara. Maria Angylya et conjux (110) ejus abierunt Massiliam. Scriptor hujus Elias Churensis (111) te salutat; tibi nuntiamus stipendium (112) adhunc usque diem nondum solutum esse. Saluta Dominam N. . . exercitus praefecti (94) viduam, totumque amicorum coetum, amicos et inimicos. Responsum vero mox (113) nobis mitte, neque tamen ostende (114) litteras nostras domino N. . . quippe qui nos decepit nec diligit. Vitam tuam Deus prolonget. Precans pro te, pater tuus

N. N. . . Sacerdos.

Meloduni urbe Augusti die XIV.

XVI.

Beet Deus vitam fratris sinceri, lusciniae disertae spiritus et cordis mei alterius partis, Domini N. honoratissimi.

Post (88) declaratum maximi desiderii progressum cum vehementissima cupidine, quam non capiat (115) foliorum ambitus, nec complectantur oculi, lumen illud (faciei tuae) desiderabile videndi, quod non desinat protigi a creaturarum Domino, et si benigne de nobis interrogaveris, laudes sint Deo, nihil nos dolet nisi tua dejunctio. At qui separationem largitur, conjunctionem etiam potentia sua largietur; nam *Deo nihil est difficile.* (116) Deinde nuntio tibi, mi frater, epistolam tuam mihi allatam esse primo Januarii die, quae tua epistola, carissime quadraginta sex dies in itinere permansit. Eaque lecta et cognito eam esse a te profectam, summopere gavisi sumus. Scias nos adhuc in Hispania commorari et in urbe regia Madriti fuisse. Labores ingentes perpessi quinquaginta fere milliaria (117) Madrito secessimus, et adversus Anglos bellavimus, quos primum vicimus, sed victi sumus deinde ab iis. Cladis nostrae causa fuit nostra copiarum exiguitas; nos (118) enim et equites more venatoris culti (chasseurs 119) quadringenti fuimus, Angli contra triginta sex millia. Quo (120) nobis vertendum erat? Brevi Galliam petemus, nam rex fortunatissimus (121) nos relaxari jussit, quia plus laborum exantlavimus, quam omnes praetoriani. (122) Nova nobis calamitas instabat Madriti, rebellante urbe, et insurgente (123) ad nos trucidendos. Manum conserentes cum iis (124), eos gratiae sint Deo, vicimus. Ter repetitu impetu (125) occisi sunt e nostratibus triginta inter eosque frater et amicus tuus Aly. Omnes reliqui fratres nostri bene valent. Adsunt Gadrif et Aly Aegyptius, qui te visitavit rediens e Polonia, (126) et nunc centurio est in XXI Chiliade (127) iique te salutant uti et Elyas Churensis. Salutat te quoque tota nostra sodalitas.

Mense Augusti a. MDCCCVIII. N. Mamlukorum Centurio.

B. SCHEDULAE.

I.

Viro dignissimo, Domino honoratissimo, Chawaga N. . . quem Deus conservet!

Post plurimum et crescens desiderium, lumen faciei tuae beatae omni in bono et incolumitate videndi, si de fratre tuo interrogaveris, Deo sint laudes, hodie bono sum statu, nisi quod morbus meus biduo inde augescit ut surgere nequeam de lecto, jamque magna me incessit tristitia. Quaeso, mi carissime, animo tuo nobilissimo injungas, ut per hunc Mamlukum librum illum parvum Syriacum ad me mittas quo in aegritudine mea consoler et si benignitate tua viginti francis me velis sublevare. Nam praeter Deum et te, vir dignissime, mihi non est ad quem confugiam. Illum praecor, ut vitam tuam longissimum in tempus mihi prolonget. Perge valere.

Salutat te frater tuus N. N.

II.

Hac vespera benedicta veni, ut nitidam tuam viderem pulchritudinem et personam tuam fortunatam exspectavi usque ad horam septimam, minus quadrante, sed domum non rediisti. Quare de adventu tuo non obsequuto ingens me incessit tristitia. Deo annuento faciem tuam et pulchritudinem habitumque a Deo custoditum videbo die Solis, eo fine, ut tecum comedam cibum Aegyptium a coquo Aegyptio paratum. Perge valere. Salutat te frater N. . . . . .

III.

Mi carissime N. N. . . te osculatum veni, nec tamen reperi. Quare ubi benignitas tua concesserit, te rogo, ut hodierno die, hora secunda pomeridiana aut cras, die Saturni, me visas, ac multa tibi scriba hujus debebit. Die Veneris hora XI. Amicus tuus G. T. Sacerdos.

IV.

Viro sagacissimo (128), honoratissimo, fratri et amico N. . . . quem Deus conservet!

Post (declaratum) desiderium te videndi, amatissimo tibi aperio, me sperasse, fore ut hac hebdomade me praesentia tua nobilitares, sed non venisti, quamquam haud ignoras, valde mihi necessarium esse te videre. Pro tua benignitate pollicitus es, Haririi consessus vendere, eamdemque ob rem hoc ab amore tuo expeto, ut per eum, qui has tibi litteras perfert, me, quid egeris, certiorem facias. Valere perge. Die Solis mane.

Frater tuus Michaël Sabbagh.

V.

Fratri meo, amico, Domino N. N. . quem Deus O. M. conservet!

Post (declaratum) desiderium te videndi, in memoriam tibi revoco, te promisisse me visere die Lunae; te exspectavi, nec tamen venisti. Praeteriit dies Lunae itemque Martis, nec venisti, quod valde miror. Itaque ab amore tuo expeto, ut hoc ipso die vesperi me nobilites, nec ullum datur effugium, nam te valde valde opus habeo. Certe igitur, certe! Perge valere. Die Mercurii mane. Frater tuus Michaël Sabbagh.

VI.

Fratri meo carissimo Chawagae N. . . quem Deus O. M. protegat!

Post (declaratum) meum tui desiderium te moneo, quoad Bibliis quibus liber Jobi inest, ea te saepissime quidem mihi promisisse, sed hucusque nondum ad nos pervenisse. Quod ad (129) libros, quos viginti quinque Francorum pretio a te emi eos, si usque ad hujus mensis exitum exspectare vis, per hominem hanc epistolam perferentem, mitte. Sanctum Evangelium denique illud, de quo tibi narravi, a possessore jam venditum esse

comperi. Attamen multis mandavi, ut, si invenerint sanctum Evangelium, me edoceant, ut emam. Diu etiam est, mi frater, quod me non visitasti. Deus O. M. te protegat, Frater tuus Michaël Sabbagh.

VII.

Fratri amatissimo, N. . . quem Deus conservet!

Post (declaratum) desiderium te videndi, indico tibi, crastino die mane ad te venturum esse dominum nostrum, Achmed, praefectum, quem comitabor, et hora quidem nona et dimidia. Ipse me edocuit, ut tibi patefacerem. Perge valere. Frater tuus Michaël Sabbagh.

Die Saturni.

VIII.

Salutem dico, quae, ubi advenerit, sit margarita, ac mutetur in hyacinthum in manibus ejus, penes quem animus meus est, cujusque habitaculum est oculorum meorum nigredo, salutem salutiferam, manna (130) Zephyri leniorem, rosa in hortis suaviorem, dulciorem sanitate corpori aegroto, ei (dico), qui oculo est lumen cordique gaudium et voluptas, fratri meo et amico N. . . quem Deus O. M. conservet!

Postquam exposuimus multitudinis desiderii, summaeque abundantiae cupidinis progressum, qui neque complecti potest (115) foliorum ambitu, neque tangi oculorum acie, videndi lucem faciei tuae desiderabilis, quam creaturarum dominus nunquam non protegat; si de valetudine mea interrogaveris: pro misericordia Dei celsissimi (131) et cura tua, debemus, quod valemus, et cupidi sumus, te videre. Nihil autem nobis molestum est, nisi seperatio. Caeterum responsum tuum, datum die vigesimo octavo Septembris nobis perlatum est, ejusque summam cognovimus, laudavi-

musque Deum O. M. Nunc te certiorem facimus, frater, amice, nos hodierno die profecturos esse Fontem Bellaqueum (132). Meo nomine salutem plurimam dicas domus tuae possessori, teque salutant, qui praesentes sunt ex nostris. Precamur Deum O. M., ut nos cum luce faciei tuae brevi conjungat, teque protegat. Ab amico sincero Ayd Begalensi.

Octavo Mensis Vendemiaire anni XIV.

IX.

Exemplo procerum, columnae primatum, potentia, dignitate et vi ornato, fratri carissimo, auro exquisitissimo, gemmae reconditae, cujus, si ipse abest, non abest vis, et, si colloquitur, mel fatur ab ejus lingua, domino N. . . .

Post plurimam salutem, declaratamque ei copiam desiderii, nuntiamus, cor et animus nostrum prorsus apud te esse, quemadmodum notum est Deo O. M. Et si de nobis interrogaveris, bene valemus, nosque non nisi de te et de salute tua interrogamus, quae summus votorum nostrorum finis est, et voluntatis nostrae terminus. Tu vero, mi frater, saluta omnes, qui de nobis interrogaverint, egoque venturus et visurus sum visum tuum felicem. Certe, certe, vale! A Johanne patre Johannis.

X.

Dominae dignissimae K. conjugi Domini T. filii N. . . (133)

Carissima, per oculorum tuorum vitam, animo tuo injunge, ut cum Maria Hamanensi, quae apud fratrem meum Josephum fuit, colloquaris, num velit ad me venire, mihique servire. Responsum ejus mihi redda, an velit nec ne. Semper ego officium tuum celebrabo, et benignitatem tuam oro, ut, si acceperis nuntium de marito tuo, Domino T. benigne id mecum communices. Valere perge; pro te precor. Saluta omnes amicos. Nostrates omnes te salutant. Die XXVIII Januarii anni MDCCCVI.

Amica tua N. . . . Uxor N.

c. TESTIMONIA.

I.

Penes me sunt, fide mea obligata, fratri carissimo, honoratissimo, dom. N. . . venerando, quinquaginta Franci, quos die Saturni haud mora solvere promitto. Cautio ejus sit chirographum meum et nomen. Scriptum XXIII die mensis Thermidori anni XIII. Scriptor hujus N.

II.

Allati sunt a dom. N. . . ducenti quinquaginta floreni, pretium complurium librorum, quos ei descripseram, quorumque de pretio dicto conventum erat. Quod ad testandum nomen meum chartae huic apposui. Die XXVIII mensis Maji MDCCCXV. Scriptor hujus N.

III.

GLORIA SIT DEO!

Ego, cujus subsignatum est nomen, hoc testimonio, de quo non dubium, firmo ac probo cuicunque, qui hoc scriptum meum inspexerit, possessorem hujus, filium nostrum N. . . , praenobilem, unum ex lectionum mearum de lingua Arabica auditorum, non solum duos annos et dimidium lectionibus meis assidue et diligenter interfuisse, sed inter alios etiam eminuisse tum in interpretatione, tum in colloquiis, nec quotidie progressus facere non desinere. Hoc ad dictum confirmandum scriptum est. Veritati convenit, et datum est I. Februarii die, anni MDCCCVI.

Scripsit Sacerdos Raphael,
Monachus, linguae Arabicae Doctor, Lutetiae urbe.

D. LITERAE PRECES.

I.

Servus tuus, oriundus gente nobili N. . . ex urbe N. . peculio amplissimo injuria amisso, cum fortunata (121) Caesaris Maximi persona Aegyptum nobilitaret, scribae Muradi Bey munere functus et hunc in Aegyptum superiorem fugientem, comitatus sum. Nec diu tamen cum eo fui, sed, postquam Francogalli regiones nostras ingressi erant, eum aufugiens, interprete N. N. intercedente ad fortunatam Caesaris personam perveni, quam de occultatis thesauris et apparatibus bellicis, eorumque statu certiorem feci. Tum loco quodam scriba me constituit, ubi remansi usque ad proelium a duce Klebero commissum. Id quod feceram, considerantes, Muslemi domus meas facta irruptione diripuerunt, gynaeceum meum spoliarunt, patruum meum occiderunt et nudus egressus sum. Posthac Belliard, exercitus dux, me usus est scriba, apud quem mansi usque dum Francogalli Aegyptum relinquerent, quibuscum et ego exivi. Massiliam cum pervenissem, adjuverunt me sicut reliquos transfugas. Sed perpendens me familiam meam relinquisse, quinque personas et patrui mei occisi septem personas, quae praeter me nullum habebant altorem, stipendiumque istud (meum) mihi soli haud sufficiebat, eo adactus eram, ut imperatoris interpretem, N. commodam rogans conditionem litteris adirem. Quam pollicitus postulavit, ut cum praefecto Sebastiano, scribae vice fungens, proficiscerer. Profectus itaque mandatum officium exsecutus sum. Dein ante tres annos et quod excurrit Lutetiam me contuli, ubi quocunque mense a mea et patrui mei familia epistolam accipio, qua impensae causa argentum postulant, mihi autem non est, quod sufficiat. Audito vero, imperatorem, ea, quae ipsi est, clementia et cognita tua misericordia, te sublevandis profugorum rebus praefecisse: manus meas ad te atollo, ut familiae meae pariter ac reliquis profugis subsidium statuas etc.

N. . . .

II.

Servus tuus N. e gente N.: E primis mercatoribus eram, cum Respublica Franco-gallica Aegyptum invaderet, ut mercimonia (134) mea agminibus transportanda mercatorum, nomine et fortunis summorum instar, committerem. Atque cum imperator Syriam petere constituisset, filium sororis meae ministerio suo assumpsit, ut ex eo de Syria cognosceret. Occupantibus vobis Joppen multae mihi erant facultates, quas Muslemi propter nostram praestitam imperatori operam diripiendas dedere. Itemque post Franco-gallorum Ptolemaïde reditum, bona, quae mihi in Syria erant, omnia Muslemi spoliarunt, duosque fratres, in illa regione habitantes (135), occiderunt, eamdemque ob causam mea nunc familia cervici meae imposita est. Praelio vero duce Klebero, quem Deus beet, commisso, Islamitae omnes nostras domus et reditus ceperunt, nosque nudi effugimus. Francogalli Aegyptum relinquentibus ego itaque cum ipsis discedere coactus fui, timens de sanguine meo, et Massiliam veni vacuus et nihil habens (de quo viverem). Propter officia mea antea praestita, Reipublicae Franco-gallicae princeps me quidem adjuvit et auxilium mihi tulit, ut reliquis Aegyptiis, quinquaginta scilicet singulo die Solidos mihi suppeditans, tribusque meis filiabus quarum minima (136) octavum exegit annum, viginti quinque unicuique solidos singulo die; tu vero fortunatissime haud ignoras auxilium illud ne quartae quidem necessitatum nostrarum parti sufficere, his praesertim in terris, ubi victus valde sunt cari, deindeque fortunatae tuae personae notum est, similes mei vivere non posse ad instar pauperum — — tali vita mors est praestantior! Celsissimam misericordiam imploro, ut tantum quantum mihi meisque sufficiat, mihi suppedites. etc.

Erratum.

Pag. 6. lin. 14. pro occuparunt Galli, leg. occuparunt Germani.

NOTAE.

1.) Familiaritatem spectat distichon, quae inter epistolae auctorem, doctum Arabem, Tunete oriundum, et editorem Parisiis quondam intercedebat, qua in urbe uterque, intima amicitia conjunctus, complures annos unam eamdemque domum habitabat. Notandus lusus in vocibus جميع et وداع, quibus pristina nostra *conjunctio* et quae insequuta est *sejunctio* facete depinguuntur, conspicuus. „Eramus“ scribebat ille, “*conjuncti* جميعا et una domus nos complectabatur, „sicut conjunctae sunt litterae vocis جميع“ (conjunctus), quippe quae hoc in vocabulo conjunctim scribuntur; „at hodie *discessus* الوداع similes nos reddi- „dit litteris vocis وداع (*discessus*)“ utpòte quae in hoc verbo separatim debent poni.

1*) جناب Qua voce Arabes in titulis frequenter utuntur notat *atrium*, *limen*, *portam*, indeque *dignitatem*, *majestatem*. v. Meninsky sub hac voce.

2.) حفظ *conservavit.* In bene precandi et salutandi usu venit formulis quae seriore tempore epistolarum titulis, addi coepisse dicuntur. Eutychius Alexandrinus, sive Ibn Batrick dicit: „Dsirryasatain al fadl, primus usus est compre- „cationibus in epistolarum titulis post mortem Alamini. En verba ejus:

و قال ابو اسحاق ابراهيم ابن المهدى المعروف بابن شكله ان المكاتبة لم تزل جارية بين الناس من فلان ابن فلان الى فلان ابن فلان و من ابى فلان الى ابى فلان و لابى فلان من ابى فلان و لابى فلان من فلان ابن فلان و ليس فى شى من العنوانات دعا الى ان قتل محمد الامين فذكر ان صاحب بريد مدينة السلام انفذ اليه كتابا من ذى الرياستين الفضل ابن السهل عنوانه الى ابى اسحق ابقاه الله تعالى من ابى العباس قال ابو اسحق فلما رايت العنوان وجهت بالكتاب الى عمى سليمان لاطرفه به فلما وصل كتابى اليه وافانى حاجبه بكتاب ذى الرياستين اليه بمثلما كاتبنى به فصار الناس يستعملون من ذلك الوقت الدعا فى عنوان كتبهم ٥

„Dixit Abn Isaac Abrahim Ebn ql Mohdi, qui Ebn Schaclah appellatus est. Non de„sierunt epistolae inter homines (hac forma inscribi) Ab N Ebn N ad N Ebn N, „aut ab Abi N ad Abi N aut ad Abi N ab Abi N aut ad Abi N ab N Ebn N.; sine „ulla in titulis comprecatione usque ad caedem Muhammedis Al Amini; memi„nitque Cursorum Bagdadi praefectum, literas ad ipsum a Dilriyasataini (duos „principatus habente) al Phadlo curasse, sic inscriptas: Abi Isaaco quem con„servet Deus excelsus ab Abi Abbasso. Quarum (inquit Abu Isaac) ubi in„scriptionem viderem, ipsas ad patruum meum Solimanum misi, quo ipsi ut „novum quid ostenderem cumque ad ipsum pervenissent literae meae, attulit „mihi janitor (*claviger*) ipsius alias a Dil-Riyasatain ad ipsum missas, eodems„que modo quo quas ad me dederat, inscriptas. Atque ex eo tempore in inscrip„tionibus literarum suarum comprecationes adhibere consueverunt.“ (Eutych. „Annal. Oxon. 1658. Tom. II. p. 418. Int. Edw. Pocockio.)

3.) رويا et مشاهدة non ubique est *oculo videre*, sed saepius *animo cernere* notat, uti ex locis nostris, ubi idem est ac *scire*, clare patet.

4.) باسابورط *Syngraphum.* Vocabulum e lingua Italica *Passaporto* desumptum e qua ut e Latina, Graeca, Francogallica et aliis linguis epistolarum bellorumque commercio voces haud paucae in Arabicam fluxerunt. Idem vocabulum etiam in litteris ab Imperatore Maroccensi ad Ludovicum XV. satis reperitur. V. Cl. Sylvestre de Sacy Chrestomathie arabe. Tom. I. p. 437.

5.) مسافر pro اسافر vel انااسافر. Sic saepe participium nudum obviam est, ubi verbum finitum exspectaveris, qui tamen usus frequentatissimus est; e. g. in Corani Sura II vers 44 ed. Hinkelm. انهم ملاقوا ربهم idem et vers 250 ان الله مبتليكم بنهر et al.

6.) الذى pro plur. الذين, quod haud raro invenitur, quemadmodum etiam sing. foem. التى pro plur. اللذين.

7.) Voce متاع Arabes nonnunquam utuntur ad designandam possessionem, saepiusque eam superflue ponunt ante pronomina possessiva, e. g. كتب متاعى *libri mei* pro كتبى; دارمتاعنا *domus nostra* pro دارنا; تلش متاع جرمانيا *linteum Germa-*

nicum pro قاش جرمانيا; صاحب متاع الدار. *possessor domus* pro صاحب الدار; unde explicanda sunt verba مارشال بلبكم متاعكم in epistola VI. Sunt qui pro متاع etiam adhibent vocem بتاع, امتاع et نتاع. Vide ill. Sylv. de Sacy Chrest. arab. Tom. III. pag. 337. No. 49.

8.) هلبت (l. helbet) *Certe, sine dubio*, et non nunquam *celeriter, cito*. Haec vox Maroccanis Tunesibusque minime peculiaris est, quippe quae etiam Aegyptiis haud ignota est. Vid. Sched. V. et al. Lexica id vocabulum non habent. vid. Glossarium.

9.) خرج *Necessitas, aptum, commodum*, proprie *id quod exit*. Vox abest in Lexicis, legitur autem hac significatione in epist. V. et VI.

10.) بوسطه est Gallicum *Poste*.

11.) لبعض الاحد Mira locutio significans *alicui*. Exspectaverim احاد, ideoque احد pro hoc esse positum, attamen sunt qui pluralem existere negant. V. Gol. Lex. s. h. v.

12.) و انا ننساخهم pro و انا انساخهم plur. pro sing. ut in verbis و نعمل شركة معه pro و اعمل شركة معه.

13.) انكان pro ان كان Conditionem denotat i. q. *si*, ad vocem: *si ita est*, e. g. لن كان تكتب لي si mihi scribas.

14.) الدريسه est vox Gallica *adresse*, sed sensu *habitationis, domicilii*, quam Arabes hoc modo in suam linguam receperunt, priores literas *ad* pro articulo ال ante solarem د habentes. Inscriptio epistolae (*adresse*) arabice dicitur عنوان et علوان.

15.) خواجه et خواجا Vox originis Persicae i. q. شيخ *senex, dominus*. Titulus doctoribus, mercatoribus aliisque dari solitus. Occurrit quoque in litteris ab Aethiopum rege datis, in appendice ad Ludolfi historiam Aethiopicam p. 15. lin. 22. — Cfr. Meninsky. In versione nostra vocem illam semper retinuimus quoniam Latinum *dominus* ei non plane respondet. Idem fere valet de voce الحاج Alhagg, *peregrinator* quae Arabibus titulus honorificus est, nec vero *peregrinator* Latinis.

16.) من حمد الله hic exstat pro و الحمد لله.

17.) جون est vocabulum graecum *γωνος angulus*; hic *sinus*. Deest in Lexicis.

18.) Verbum بقى proprie *superstes fuit*, *permansit*, h. l. sibi vult. *adhuc est*.

19.) عطر *Oleum*, i. e. *oleum suave*. Ita dicitur عطر الصندل *oleum sandali*, عطر كافور *oleum camphorae*, عطر قرنفل *oleum caryophylorum* etc. in lit. Aethiop. p. 22.

20.) ست *domina*, proprie scribendum est سيدة, sed haec vox plerumque ى omisso د ac ة in ت mutatis scripta, reperitur. Tribuitur non solum foeminae cuique nobili, sed honoris causa etiam aviae, ut ex multis libri Mille noctes et una locis apparet, e. g. nox XCV ودخل عجيب الى سته ام حسن البصرى فقبلته سته „Agib introivit ad aviam suam, matrem Hassani Bassrensis (patris Agibi) et osculata est eum *domina* (avia) sua." Pluralis sonat استات e. g. *M. n. et u*, Nox LXVII احضرى عندنا حتى يسمعوا استات مدينتنا انك حضرتى فيحضروا „At nos accedas, ut audiant nostrae urbis *dominae*, te venisse et item veniant."

21.) فتش *quaesivit*, non tantum ut in Golii Lexico legitur cum عن *rei*, sed etiam ut h. l. cum على *rei* construitur. In vita Timuri edit. Golii p. 156 l. 17 item habes ففتشوا عليه فلم يوجد „eumque quaesiverunt, sed non inventus est," et alius locus adest in libro: *De initiis et originibus Religionum in oriente dispersarum* etc. quem *ill. Bernsteinius* (Berol. 1817) in lucem emisit, p. 52 (text. Arab.): وكان جماعته كل يوم يطلعوا يفتشوا عليه „Quare quotidie ascenderunt amici ejus, diligenter hic illic eum quaerentes," qui de hac constructione disseruit, p. 66. Not. 174.

22.) De variis vocis حتّى, quae in textu Arabico legitur, et *ut*, *utque*, *donec*, *adeo* significat, notionibus ita conqueritur Arabicus quidam poëta in extremo versu: حتى ان فى جتفى شى من حتى „ut adeo morienti mihi aliquid esset contra حتى".

23.) انغميت: et in ep. sequ. انسريت : تميتم : حطيت : quae horum verborum, utpote surdorum, formae quamquam proprie scribendae erant تممتم : حططت, انسررت : انغممت : nequaquam tamen vitiose scriptae sunt. Reperiuntur similes, e. g. in Corano, pariterque Arabsiades, cujus vita Tamerlani elegantissimis Arabum operibus merito adnumeratur, (vita Timuri p. 35. l. 13. ed. Gol.) و اذا بلغك انى استوليت وعلى الممالك استقليت (pro استقللت) „quod si ad te pertigerit, me imperium occupasse et in regnorum fastigium adscendisse.

24.) قرْكَاطه *Lembus*, (Fregatte). Meninsky habet قرقنه, fortasse a فَرَقَ separavit *undas*, sicut et قلوقه, genus navigii, (Feluke) a فلق fidit *undas*.

25.) مدفع proprie id quod propellit s. excutit, ab Arabicis hodiernis adhibetur sensu *tormentorum*, ut in descriptione obsessionis Jappae per Gallos. (v. ill. Sylv. de Sacy Chrest. arab. T. I. p. 490. l. penult. et pag. 494. l. 6 et al.) Lexica hanc significationem praeter Meniskium non habent. Est autem hoc vocabulum, non, ut multa alia quae instrumenta significant, e linguis peregrinis petitum, sed vere arabicum, quod proprie notat instrumentum propellendo s. excutiendo inserviens. Neque id novissimis temporibus inventum est, siquidem jam Arabsiades in vita contemporanei sui Timuri, eo his verbis p. 206. l. 7. utitur: فاهلكا من جيشه بالاحراق و ارعاد المدافع و الابراق ما فات العد „et ambo isti perdiderunt incendiis, *tonitribusque et fulgoribus tormentorum* innumeras exercitus ejus copias."

26.) Vox بارود *pulvis pyrius* similiter occurrit in vita Timuri p. 237. l. 5: وحين شعر اهل القلعه بهذه الفعال القوا النار و البارود على تلك الاحشاب فاخذت في الاشتعال „Et cum cognovisset arcis populus quod factum erat, conjecerunt ignem et „*pulverem* in trabes istas, quae coeperunt inflammari."

27.) اصلا praecedente negatione, significat *plane non*, quae notio quamvis in optimis lexicis, Giggei, Golii, Germani de Silesia praeter Menink. non reperiatur, egregiis tamen auctoribus probatur. Invenitur enim e. c. in Abdullatifi compendio memorabilium Aegypti Arabicae, ed. D. J. White Tubingae MDCCLXXXIX. p. 28. l. 1: واما الماش فهو المج فلا يزرع بمصر اصلا, quem locum illust. Sylv. de Sacy in operis hujus versione [Relation de l'Egypte par Abdullatif Medecin arabe de Bagdad, Paris MDCCCX. page 32.] sic explicat: „Le Masch qui est la même chose que le Maddj ne se sème *point du tout* en „Egypte." Etiam in libro *mille noctes et una* saepe legitur, ut nox 944 bis, ubi de Psaltria praestante dicitur: و انتي احسن صناعة مني بما لا يقاس و لا يقارب و لا يحسب اصلا „Tu in hac arte tanto dexterior es quam ego, quantum cogitatione et comparatione et computatione *plane non* potest attingi," ac paullo

inferius narratur de domino لم يبقى [l. يبق] له شيا من المال اصلا i. e. plane nihil peculii sui ei mansit. Vid. Meninski h. v.

28.) اورانا pro اراانا, est forma IV verbi رای.

29.) نمسا (leg. Nimssa) *Germania* unde نمساوی *Germanus*. Convenit haec vox cum *Niemiez* Polonorum, qui Germaniam ita appellant, et ex lingua Slavica in Arabicam transiisse videtur. Hinc nomen urbis in Silesia *Nimptsch* (Nimitium) a Slavis ei datum. Meninsky habet نمسه et نمچه Germania.

30.) متاريسات a Sing. مَتْرَسَة sunt *valla*, idem quod متاريس in Sylv. de Sacy Chrest. arabe T. I. p. 490. lin. 11.

31.) جلـه vox Pers. *Globus tormentis* emittendis serviens. (Kanonenkugel).

32.) قنبرى l. *combara; bomba*, Turcicae originis, quae vox occurrit in Silvestre de Sacy Chrest. ar. Tom. I. p. 490. l. 4. و ان يضعوا اهوان القنبر باحكام „et d'éta„blir solidement les *mortiers* pour jetter des *bombes*;" et pag. 494, lin. 6. و لاجل ذلك اخر ضرب المدافع والقنابر : „à cet effet il a suspendu le feu des „pieçes de canon et le *bombardement*." Ad vocem اهوان dicit vir ille illustris (Tom. III. p. 357. Nota 120) „اهوان est le pluriel de هاون *Mortier*, mot persan qui a passé dans la langue arabe, قنبر *bombe, granade*, est un mot turc, „qui s'écrit dans cette langue كُنبره ou قومبره Voyés Meninsky Thes. ling. or."

33.) كمان et كمن, *etiam, pariter, adhuc*. Hoc vocabulum, neque a Golio, neque a Giggeo et Meninsk. exhibitum, a Dominico Germano, de Silesia refertur p. 92. l. 10. ubi legitur: „كمانا, *etiam, similiter*." Itidem Savary in Gram. sua arabica habet „لابد يبطى كمان شوية certe paullum adhuc cessabit." Notiones istae valde usitatae sunt.

34.) جفن et جفنة plur. اجفان est navis bellica similitudinis cum forma palpebrarum oculi aperti causa ita nominata uti Arabs quidem mihi retulit.

35.) بريكا plur. براكية rectius برايكا, species navigii, cujus nomini origo haud dubie in *Brigg*, *barca* petenda est.

36.) باشا *consilarius, praefectus provinciae, princeps, dominus*, a voce Turcica باش caput, summitas. v. Meninski.

37.) والحال Ad verbum: *status s. res ita est*, idem saepissime valet quod *igitur*.

38.) نهر الرين *fluvius Rhenus*.

39.) الذى - الذى *hic - ille*. Duplex الذى hic et multis aliis locis inservit ad diversas diversorum, uno eodemque tempore actiones indicandum, quemadmodum latine dicitur: *hic venit*, *ille abit*.

40.) بورطوفرانكوا est vox italica: *portofranco*.

41.) مكس *vectigal*, *portorium*. Vid. Relation de l'Egypte par Abdullatif, trad. par Mr. le Baron Silvestre de Sacy, p. 401. qui ibi ait: „Le mot de Maks مقس „est une corruption de مكس, qui signifie *imposition*, *droit d'entrée*, ou de „douane."

42.) تاريخ apud hodiernos Arabes prorsus eandem notionem habet quam nostrum: *datum*. Vid. *Meninsky*.

43.) امين Videmus hoc vocabulum asseverandi vim habens, hodieque valde amari ab Arabibus. In fine epistolae Imami Mascatensis triplex *Amen* occurrit. V. Silv. de Sacy Chrest. ar. Tom. I. p. 477.

44.) سخب *plur.* سخاب, *segmentum*, *ornamentum colli*, pastilli. Tales pastillos, ex rebus aromaticis plerumque constantes, infantibus appendi solere demonstrat Motenebbi. Silv. de Sacy Chrest. Arab. T. I. p. 337. v. 40. cfr. Tom. III. p. 113. Not. 18.

عفى عنهم و اعنقهم صغارا : و فى اعناق اكثرهم سخاب ٭

„quand il leur a rendu la liberté, la plupart d'entre eux avaient encore le cou „orné des joyaux dont on pare l'enfance."

45.) وسق onus. Quod Golius et Giggeus contendunt ita appellari onus camelinum id minime ego probaverim. Sic enim nominatur onus quodcunque transmittendum, et de onere navis adhibetur in libro: Mille noct. et una Nox LXXVI.

هذا ما اباع بدر الدين حسن لاسحاق اليهودى وسق اول مركب تدخل بالف دينار ٭

hoc est, quod vendidit Bedreddin Hassan Ishako Judaeo, nimirum onus primae navis intraturae, mille denariis (aureis).

46.) رفيع *subtilis*; quam vocem Cl. Silv. de Sacy invenit in quibusdam glossariis,

nec non in *Dictionnaire espagnol-arabe de Cannes.* *V. la colombe messagere* etc. par Michel Sabbagh, traduit de l'arabe en français, par A. J. Sylv. de Sacy. Paris 1805. page 92. Not. 21.

47.) طزينه l. touzine, est vox franco-gallica *Douzaine.*

48. جيب Golius et Giggeus s. h. v. nihil habent nisi „sinus indusii, lacinia, sinus, pectus etc." Dominicus de Silesia vero p. 885. *sacculus caligarum*, et Meninsky *saccus in veste aut femorabilibus; pera.*

49.) بالطلوق *fide.* In usu est, ubi aliquid absque numerato pretio emtori fide venditur. Alii adhibent بالجريدة *ramulo*, quod inde fluxit, quod binis ramulis palmarum, foliis nudatis (جريد) aequalibus, utuntur, in quos in vendendis mercibus, venditor una simul incidit crenam, ut ex crenarum, in utrumque a creditore et debitore, tempore suo allatum ramulum incisarum locis et numeris convenientibus, debitum cognoscatur. Vid. lib. Mille noct. et una, nox CXXXIV. و دخلت مصر و اجتمعت بعومتى فرايتهم قد باعوا متجرهم بالجريدة „Intravi Aegyptum et conveniens cum avunculis meis, animadverti, eos jam vendidisse mercimonia sua *ramulo.*" Et Nox CXI. و بعته فى الجريدة et vendidi eum (linteum) *ramulo.*" Idem est quod in lingua Germanica vulgari: auf den Kerb (talea) verkaufen.

49*) جوخ *pannus.* Ita haec vox etiam a Dominico Germano de Silesia scribitur p. 37. اثنى يثنى الجوخة *conduplicare pannum;* et item p. 740. جوخة *pannus laneus* sed addito ة foeminino. Ill. Silv. de Sacy vero in Grammatica sua Arabica pag. 57. num. 102. dat: جوح (ح pro خ) et ita quoque Meninsky جوحه. D. Germ. de Silesia s. v. تاش recte habet pag. 740. *Panno de lino; tela, linteum.* Golius non habet hanc significationem et Giggeus notat تاش الثياب materia vestium.

50.) طبنجه l. *Tabanga.* *Telum manuale ignivomum, pistola.* In literis aethiopicis p. 21 nominantur: بنادق صغار (sclopeta parva). Meninsky hanc vocem Turcicam appellans, nonnisi *colaphum* significari dicit. De Dombay in Grammatica sua Mauro-Arabica p. 80. (Vindobonae 1800), parvum sclopetum etiam كابوس appellari docet. Ceterum طبنجه eo, quem hic tenet, significatu occurrit

in *Bulletins arabes*, Bu. XXXII. p. 132. lin. 11. et in forma plurali طبنجات p. 133. lin. 2 et 4.

51.) Vocem حرج, quae *integumentum* (Beschlag) significat, nusquam ego inveni. Reperitur hoc sensu عبارة in Bulletins arabes p. 132. lin. 8. مكاحل على الشكل الجديد بعبارة نحاس ٣٣٣٠٦ i. e. *epistolae novae formae, capulis obductis aurichalco . . .* 33306.

52.) مكحلة *sclopetum* et فوشيق *cartouche*. Non hisce epistolis solis occurrere ista verba, apparet ex relationibus arabicis supra jam citatis (Bulletins arabes) [كتاب مجموع حوادث الحرب الواقع بين الفرنساوية و النمساوية في سنة ١٨٠٥ i. e. Liber complectens res inter Francos et Germanis gestas anno 1805.] Relatio XIV. p. 89. ubi legimus: و قد خلى فيها المسكوو الف قنطار بارود و الف مكحلة و مقداراً كثيراً من رصاص و من فوشيك اعنى قراطيس ملفوفة في كل واحد منها ما يحتاج اليه للضرب بالبندقيه او بالمدافع *Moscovitae in ea* (Brunoduni urbe) *relinquerunt mille centenarios pulveris, mille sclopeta,* (مكحلة) *magnam plumbi molem, etiam* فوشيق i. e. *involucra (dico* قراطيس *chartas) quibus inest quantum pulveris et plumbi ad inferendos sclopetorum* (بندقية) *et tormentorum* (مدافع) *ictus opus est.* مكحلة quod idem est ac بندقية occurrit etiam in cel. Silv. de Sacy Chrest. arab. Tom. I. p. 437. lin. 12.

53.) زَغَايَة *mucro, cuspis.* (Gallice *Bajonette.*) In Giggeo, Golio et Meninsky desideratur, sed Dominicus Germanus de Silesia p. 136. habet حامل الزغايا *Armato di pica, hastam gerens.* Nescio an accuratius scribendum sit cum ذ: ذاغاية, aut ذو غاية *possessor summitatis*, quam vocabuli originem putaverim.

54.) شاف *fut.* يشوف *vidit.* Golius non nisi secundam formam affert; ea tamen non utuntur Arabes sed prima, potius, uti recte docet Giggeus Vol. II. p. 1225. Hic vero male habet يشف pro يشوف omisso و, fortasse error typographicus. In usu autem esse يشوف *primae formae futurum* ex hocce proverbio satis apparet: الجمل ما يشوف حدبته, *Camelus non videt gibbum suum.* Cfr. etiam nota 101, ubi prima nostri verbi forma in voce شُفْتُ item legitur.

55.) مانى hic exstat pro ما أنا vel ما انى *non ego.*

56.) نصّ *argumentum*, quod Golius non habet, occurrit in cl. Silv. de Sacy Chrest. ar. T. I. p. 225. lin. 7.: وفى يوم الخميس ثالث ربيع الاخر قدم كتاب تيمورلنك يتضمن الارعاد والابراق وتنكر قتل رسله ونصه . . . : „Le jeudi 3 de Rebi second, on reçut une lettre de Tamerlan, remplie de menaces et d'expressions foudroyantes, et dans laquelle il se plaignit d'avoir fait mourir ses ambassadeurs. *Elle etait conçue en ces termes* etc.“

56*) بولصه l. *bulisse* est Francogallicum *police*, ein Zettel, eine kurze Schrift, Versicherungs-Schein. V. Dictionnaire Al. Fr. composé par Schwan. Berlin 1819. In lingua Italica: *polizza*.

57.) كثر الله خيرك *Deus augeat, multiplicet salutem tuam;* est formula gratias agendi Arabibus usitata, sicut et جزاك الله خيرا *retribuat Deus tibi bonum.* Arabes enim nunquam dicunt: *ago tibi gratias*, sed gratum animum, salutem et felicitatem optando, praestant.

58.) الفرس الميمون, *equus Meimun*, est equus fabulosus Alis Chalifae, cujus historia exponitur in carmine quodam arabico, in quo, 1292 versus complectente, bini semper versus similiter exeunt. Hic liber, quo quidam الامام ابن العباس Imamus, Ibn Abbas loquitur, est e meis codicibus.

59.) كتاب الغاشوش *Liber ineptorum* etc. Auctor hujus libri, in titulo indicatus est: الشيخ جلال الدين السيوطي *Asscheich Gelaluddin Assayouti* (Sajutensis) vid. Herbelot s. v. Soiouthi.

60.) خلّى *retinuit*, *reliquit*, *deseruit*, *missum fecit*. Habet quidem multas alias significationes, sed nulla fere frequentior, quam *deserere*. Juvat hunc usum probare lepido quodam proverbio et elegantissimis, qui hoc sequuntur, versiculis (nox LXXIV):

خلى من قلّ خيره لك فى الناس غيره

Desere cui nihil est boni, alium inter homines invenies.

ان قل مالى فلا خلّا يصاحبنى : فان زاد مالى فكل الناس خلّانى

